Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Andreas Cramer

M. Andreae Crameri Pastoris Magdaeburgici Fasciculus Disputationum De Nobilioribus Quibusdam Controversiis Philisophico-Theologicis olim habitarum, contra introductam Philosophiae & Theologiae perniciosam commixtionem ...

Magdeburgi: Magdeburgi: Boelius: Kirchnerus, 1617

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn812593081

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN

Ep. 228 p
276 p Ind
Ind. Pr. 144 p

Nr 2. Dupl. Fg. 3299. 2

6 g

Fg-3953 1-3.3

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn812593081/phys_0002
DFG

414

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn812593081/phys_0004
DFG

M. ANDREÆ CRAMERI Pastoris Magdæburgici

FASCICULUS

DISPUTATIONUM DE NOBILIORIBUS QUIBUSDAM CONTROVERSIIS Philosophico-Theologicis olim habitarum, contra introductam Philosophiæ & Theologiæ pernicioſam commixtionem,

(Index est in versa pagina.)

In gratiam & usum studiosæ juventutis publicatus

Cum Præfatione autoris

AD

Revmum. Illmum. & Celsmum. Principē CHRISTIANUM GUILELMUM, Administratorem Archiepiscopatus Magdæburgensis, &c.

MAGDÆBURGI,

Exscriptus typis Joachimi Boelij, sumptus suppeditante Ambrosio Kirchnero, Anno 1617.

INDEX DISQUISITIONUM.

1.

De vero Philosophico & Theologico, pa. 1.

2.

De Philosophico rationis judicio in mysteriis, p. 29.

3.

De duplici hominis luce, pa. 41.

4.

Consimilis argumenti Epistola ad nobilissimum Heroem Henricum Albertum Mynsingerum, pa. 41.

5.

De religione cæcæ rationis capacitati conformata. pa. 58.

6.

De naturali Dei notitia. pa. 64

7.

De notitia Dei confusa & distincta. pa. 72.

8.

De potentia in homine ad regenerationis actum pag. 77.

9.

De usu Philosophiæ in Theologia. pag. 92

10.

Consimilis argumenti disput. D. Pfaffradij. p. 130.

REVERENDISSIMO,
ILLUSTRISSIMO ET CELSISSIMO PRINCIPI
ac Domino,
DOMINO
CHRISTIANO
GUILELMO
DEI GRATIA
ADMINISTRATORI ARCHIEPISCOPATUS MAGDÆburgensis, Primati Germaniæ, Marchioni Brandenburgensi, Borussiæ, Stetini Pomeranorum, Casſubiorum, Vandalorum, & Crosnæ, ac Carnoviæ in Silesia Duci, Burggravio Noribergensi, Rugiæq; Principi, &c.
DOMINO MEO CLEMENmo.

Gratiam ac pacem cum corporis & animæ salute à Christo salutis Autore.

REV^me. ILLme. ET CELS^me. PRINCEPS DOMINE Clem^me.

DOct. Lutherus in disputatione Heidelbergæ habita, Amor Dei, inquit, non invenit, sed creat suum diligibile: verissimè! Nam Jehova genus humanum delitias suas, & creavit cum non erat, & restituit, cum perierat; inenarrabili caritatis fervore commotus. Unde rectissimè Augustinus in lib. de Spir. & ani. cap. *16.* caritatem vocat viam Dei ad homines. Per caritatem enim venit Deus ad homines, venit in homines, factus est homo.

Ex immensa ergo sua caritate Jehova præpotens rerum omnium Conditor suum diligibile (ut Lutherus loquitur) sibi apparavit, humanum genus creans ad imaginem & similitudinem suam, quæ pulcritudinem largiebatur longe maximam planeq; divinam. Sic igitur Jehovæ Filio desponsabatur sponsa, eademq; dilectione, qua filius sponsus, amabatur, Spirituq; Filij perfusa in sponso suo Jehovæ Filio vivens Patrem amplectebatur. In

In hac desponsatione humanum genus cum Jehova Patre in Filio per Spiritum sanctum arctissime uniebatur.

In hac unione habitabat Jehova in homine tanquã in habitaculo suo sancto; Ex hac inhabitatione homo quasi radicatus in Deo vitam Dei vivebat, Eph. 4. 18. Ioh. 3. 21.

Hinc recte magnus ille Theologus Dominus Iohannes Arnds / Lib. 1. Vom waren Christenthumb. p. 6. Der Mensch solt GOttes Bild / gleichniß / Contrafeit / vnd abdruckt sein / in welchem allein sich Gott wolt sehen lassen also / das nichts anders in den Menschen solt leben / leuchten / wircken / wöllen / lieben / gedencken / reden / frewen / den Gott selbst. Item p. 10. Der Mensch solt sich also erkennen / das er durch diß Bildniß Gottes / fehig were worden / der Göttlichen lieblichen / holdseligen / liebe / frewde / friede / Lebens / ruhe / stärcke / krafft / liechtes / auff das Gott alles allein im Menschen were / allein in jhm Lebete vnd wirckte.

O Magnam hominis nobilitatem! ô divinam excellentiam!

Versabatur homo in rerum humana-

rũ contemplatione & usu vitæ terrenæ destinato. sed imaginis divinæ luce omnes sensus humanæ mentis ita illustrati erant, ut ubiq; in rebus creatis verus Creator & conservator, qui se non reliquit ἀμάρτυρον, ad piceretur, nihilq; nisi sub creationis & conservationis notione acceptaretur, gloriæ Jehovæ Creatoris & Conservatoris evehendæ accommodatum.

Luce imaginis Dei omnia tum practica tum theorica principia, omnis theoria & praxis, omnes habitus & dispositiones, omnis rationis vigor & vis intime perfusa, sancto subjectionis motu in Deum ferebantur, atq; ita similitudinem sanctam referebant citra ullam differmitatem.

Lux imaginis Dei rationis luci insita largiebatur spirituale judicium, quo Deum verum & quæ sunt veri Dei æternæ hominis felicitati destinata, caperet & judicaret spiritualiter, neq; altius, quam par erat saperet &c.

Luce imaginis Dei voluntas hominis sanctissimo caritatis ardore incalescebat,

ut spontaneum cultum cum summa delectatione Jehovæ præstaret ex omnibus viribus, ut requiritur.

Affectus cordis itidem ardebant, sancteq; ad Creatorem ferebantur.

In corpore itidem cœlestis decor resplendebat, omniaq; illius membra ut erant organa justitiæ, sic sanctitatis svavitatem spirabant, citra omnem pudendi dedecoris maculam.

Sic sanctum Jehovæ habitaculum homo erat: Hinc vita in Deo, à Deo, secundum Deum cœlo destinata; ut nihil homo in Dei imagine & imaginis luce ageret, quod Jehovæ sanctæ veneration non fuerit destinatum, Iohan. 3. 21.

Summus hîc ardor Sponsæ erga Sponsum elucebat. Sic unicè in suo Sponso Jehovæ Filio deliciabatur.

Accedebat Angelorum jucundum jubilationis ministerium; Hi namq; velut Pronubi & amici Sponsi lætabantur, ut colligimus ex Luc. 15. 10. Sponso Sponsæq; inserviebant Matth. 4. Psa. 91. mysterium de sponsationis mirabantur 1. Pet. 1. 12.

gaudebant de consortio hominum in beatæ vitæ hæreditate. Omnes enim sub uno erant capite Ephe. 1.

O ingentem Dei amorem, qui hæc omnia pro suo beneplacito ita ordinavit! Miserrimus autem eventus respondit. Nam magna angelorum multitudo non servavit τὸν ἀρχὸν, sed ab eadem defecit & Filium Jehovæ caput sibi constitutum deserens, sancto jubilationis ministerio renunciavit.

Hinc odiũ & inimicitia contra Deum & humanum genus Deo adhærescens. Deinceps ergo Diabolus nullis pepercit laboribus, nulli fraudi, nullis insidiis, omne suum studium, omnem diligentiam, omnem operam, eò intendit, ut Sponsam Filii Dei, quæ tota erat pulcra & Sponso suo unicè dilecta, deturparet & ad fornicationem suam abstraheret. Votum non caruit successu. Nam Dei imaginem, in qua omnis pulcritudo hominis consistebat, labefactavit & destruxit astuto plane conatu. Nam imago expressa erat similitudo Dei archetypi, quæ nulla est, si con-

contra & præter Dei nutum quippiam in homine difforme emergat & appareat. Hîc certe dissimilitudo imaginis cõformitatem tollet. Ut ergo Diabolus suo satisfaceret voto, à Jehovæ facie hominem avertere, à verbo avellere, contra ejusdem nutum & mandatum excitare & statuere præsumsit. Ingens astus!

Homo erat ad imaginem Dei creatus. Ergo imaginem habebat, non ipsam Jehovæ divinitatem. Iam ne nuda imagine contentus viveret, ipsam divinitatem pollicebatur Diabolus mendax ex esu pomi prohibiti, mirisq; blanditiis & verborum lenociniis, divini mandati prohibitionem astute eludebat, peregrinum verbo Jehovæ sensum affingens. A verbo igitur mendaciis diabolicis avulsi homines contra Iehovæ nutum agunt: atq; hinc dissimilitudo in ijsdem exorta est, aversionem à Deo complectens, & conformitatem imaginis tollens.

Hæc via Adamicæ defectionis probe notanda & perpendenda est, Vnser Weißheit vnd klugheit in Göttlichen sachen/ ist das

Auge so der Teuffel im Paradies vns auffgethan hat/ da Adam vnd Eva ins Teuffels namen auch wolten klug sein/ GOtt hatte sie selbs gelehret/ vnd sein Wort jhnen gegeben/ des sie sich halten solten/ wo sie wolten recht klug sein/ So kompt der Teuffel/ der machets besser/ that jhnen die Augen zu/ das sie Gott nicht sahen/ etc. Luth. Tom. 8. Ien. Germ. p. 338. Cum Eva Diabolo contra apertum Dei verbum astute disserēti auscultans à verbi revelatione & patefactionis illuminatione paulatim abduceretur, astutis mendaciis & lenociniis verborum diabolicis, extra & præter verbum diversa, imo contraria, ex inspiratione Diaboli cogitans, lux Spiritualis imaginis Dei evanuit extincta & oppressa: successerunt tenebræ, malitia, pravitas, larva diabolica.

Verum enimvero Misericors Iehova non plane abjecit & deseruit genus humanum fornicationi deditum. Ier.

3. 1. sed dilexit mundum, Johan. 3. 16. h. e. peccatores, malos, stultos, infirmos ut faciat justos, bonos, sapientes, robustos.

Cum essemus inimici tamen dilexit nos, suamq; erga nos caritatem ita probavit, ut proprium Filiū pro nobis traderet, Rom. 5. 8. cap. 8. 32.

In hoc est caritas, non quasi nos Deum dilexerimus, sed quod ipse nos dilexit, & misit Filium suum propitiationē pro peccatis nostris, Ut per eum vivamus, 1. Iohan. 4. v. 9. 10.

Ut igitur ante in peccatis mortui & à vita Dei abalienati eramus, tenebris obscuratum habentes intellectum post amissam lūcem imaginis divinæ, Ephe. 2. 1. Cap. 4. 18. Si post vivificamur in Christo ex multa Johovæ caritate, qua nos dilexit, Eph. 2. v. 4. 5. Ut fiamus Filii lucis, convertimur à tenebris ad lucem à potestate Satanæ ad Deum, Act. 26. 19. idq; fit Sacrosancto ministerio divini verbi, quod quidem illis qui pereunt stultitia est; nobis autem qui servamur, potentia Dei, 1. Cor. 1. 8.

Per

Per verbum efficaciter Iehova operatur, illuminationis gratiam conferens, Luc. 1. v. 77. 78. 79. Gal. 2. v. 8 Act. 16. v. 14. Ut qui erant tenebræ, fiant lux in Domino & filij lucis, Epheſ. 5. v. 8. Hîc amiſſa imago reſtitui incipit in regeneratione; Unde Paulus inquit: in Chriſto Ieſu per Evangelium ego vos genui, 1. Cor. 4. v. 15. Item filioli mei, quos iterum parturio donec formetur Chriſtus in vobis, Gal. 4. v. 19. Item, precor pro filio meo, quem genui in vinculis meis, Oneſimo, Ad Phile. v. 19. Sic ergo per regenerationis gratiam renovatur homo in agnitionē, ſecundum imaginem ejus, qui creavit eum, Col. 3. 10. induitur novus homo, qui ſecundum Deum creatus eſt, in juſtitia & ſanctitate veritatis, Epheſ. 4. v. 23.

Sic iterum amor Dei non invenit, ſed creat ſuum diligibile, ut omni jure cum Luthero dicam; Ideo peccatores ſunt pulcri, quia diliguntur: non ideo diliguntur, quia ſunt pulcri. Tom. 1. Ien. Lat. p. 32.

Hinc Sponſus ex multa caritate, in complexum quaſi attrahit Sponſam, Ier. 31. v.

31. v. 3. eandem mundat & exornat Ezec. 16. v. 9. 10. 11. Epheſ. 5. v. 25 26. 27. Eſa. 61. v. 10. Pronubi miniſtri, quæ ſui ſunt muneris, expediunt & adducunt virginem caſtam Chriſto 2. Cor. 11. v. 2. Hinc nova deſponſatio, Hoſe. 2. v 19: Hinc nuptiæ Matth. 22. v. 2. Hinc gaudium Sponſi, Eſa. 62. v. 5. Pſal. 45. v. 12. & pronuborum, Iohan. 3. 29. & angelorum in cœlis, Luc. 15. v. 10. quorum fidele miniſterium celebratur. Pſal. 34. v. 8. & 91. v. 11. Heb. 1, v. 14. tandem in Sponſi domum deducitur ſponſa ſolemni pompa & gloria, Matth. 25. v. 10. ut ſub unum caput reducantur omnia, Eph. 1. v. 10.

Verum enimvero antiquus Serpens nondum ceſſat, ſed inimicitias ſemel incohatas acerrimis continuat odiis. Averſione à verbi luce Imago Dei excutiebatur, Converſione ad verbum illuminationis eadem reſtauratur & reſtituitur miniſterio Spiritus.

Hîc ergo Satanas omnem movet lapidem, ut quemadmodum in Paradiſo propoſitum verbum obſcurabat, inflecte-

bat

bat, contorquebat, corrumpebat, eripiebat; sic adhuc obscuret, inflectat, contorqueat, corrumpat, eripiat. Quod si effectum dederit, restauratio imaginis divinæ nulla erit.

Non lubet hîc excurrere, & varias Diaboli insidias exabundantissima historia Ecclesiastica repetere & detegere. Dicendum enim esset de supino & somnolento contemtu, de refractaria & pervicaci abjectione, de violenta & tyrannica persecutione verbi: de insidiosa & fraudulenta detorsione & corruptione ex admixtis humanæ rationis placitis: de Thalmudicis figmentis, de Alcorani nugis &c. quæ omnia ex Diaboli instinctu & insidiis originem trahunt.

Sed mitto: hoc tantum attingo, quod proximo seculo in religionis reformatione accidit. Hîc quidam verbum repudiarunt, quidam acceptarunt & adhibuerunt in capitibus Religionis definiendis.

Enthu-

Enthusiasticus & Anabaptisticus Spiritus scripturam rejecit, extra verbum peculiares raptus & instinctus divinos jactitavit. Nimis aperta erat ista Diaboli illusio, & tamen plurimos homines fascinavit.

Qui contrà scripturam acceptabant indeq; doctrinæ cœlestis capita æstimabant, in tres abierunt classes.

Lutherus omnem in rebus divinis pervidendis lucem naturæ humanæ per lapsum excæcatæ ademit, stultitiam & perversitatem judicij in iis, quæ Deum & religionis salvificæ sacra concernunt, probe notavit, novamq; illuminationem soli Spiritui sancto per verbum efficaciter operanti adscripsit.

Hinc igitur graviter censuit, in religionis nostræ mysteriis sic esse scripturis attendendũ, ut neq; naturalis naturalium rerũ dispositio neq; rationis humanę capacitas, nec aliud quippiã ex sapientia humana in ἐσωτιλύσει præsupponatur & admittatur ad veritatis patefactæ censurã & æstimationem, sed ex sola patefactione & testifi-

restificatione divina mysteriorum aperiatur veritas, quæ tametsi rationis nostræ judicio & naturali naturalium rerum dispositioni repugnet, tamen secundum fidei normã ad cœlestem illuminationem præstandam tenenda omnino fuerit: atq; hæc etiamnũ constans est sententia γνησίως Lutheranorum Doctorum. *Cinglius* cum suis adsectis scripturam Canonicã doctrinæ & fidei regulam quidem recepit, sed originalis pravitatis & malitiæ atrocitatem extenuans humanæ rationis lucem, capacitatem, judicium, in salvificæ religionis mysteria admisit, ut eadem secundum lucem capacitatemq; rationis naturalem dijudicentur ex principiis natura notis & in philosophia repositis.

Mysteria ergo in scriptura divinitus patefacta hac ratione agnosci, & acceptari alia non potuerunt, quam naturali rationis & capacitati conformia atq; commensurata, & luci patentia atq; perspecta. Hinc ergo rationis censura & mensura omnia mysteria æstimantur, & si rationi non arrident, miris reductionibus conformantur,

tur, quodà plurimis hodieq; tentantur, quos tamen sui istius propositi merito pudere debuisset.

Conducitur Philosophiæ, quæ nobilissimum Dei donum est, ancillatio: At videmus dominium ejusdem sub ancillationis prætextu adeo passim stabiliri, ut omnia dogmata fidei sub regulas Philosophicas referantur, indeq; æstimentur, explicentur. Hæc vero res si suo libretur pondere, manifesto apparet, intempestivam & nimiam Philosophiæ commendationem & pexmixtionem in veritatis mysticæ pernicioſum præjudicium, imo excidium vergere: qua de re Lutherus passim queritur & luculentas gravesq; ponit monitiones, Vigilandum hîc, quibus Lutheri verissima doctrinæ ex S S. scriptura solidè exstructa cordi fuerit.

Papistæ neq; scripturas palam recusare & abjicere, neq; suam causam jisdem tuto committere poterant. Id ergo egerunt, ut fucum aliquem facerent. Hinc ex scriptura definiendũ acceptandumq; esse dixerunt, quod ab Ecclesia Romana,

)()(con-

Conciliis, Patribus, Doctoribus, Papis definitum approbatumq; inscripturæ explicatione monstrari posset. Hinc mirabilis disputatio de interpretation scripturæ & controversiarum judice orta est.

Sic ergo Diabolus salvificum Dei verbum eludere & depravare, atq; adeo imaginis divinæ restaurationem in humano genere impedire voluit. Plura non addo, sed rem omnem tribus quod ajunt, verbis cõprehendo. Qui circa verbi divini meditationem variis & peregrinis opinionibus abripitur & agitatur, ingreditur viam Adamicæ defectionis.

At qui rationis cogitationes & hominum traditiones adfert & admiscet, is circa verbi divini meditationem variis & peregrinis opinionibus abripitur.

Ergo qui rationis cogitationes & hominum traditiones addit & admiscet, viam Adamicæ defectionis ingreditur. Num quid hîc regeneratio & restauratio amissæ imaginis præstari potest? Adam & Eva ita defecerunt: quis ergo speret ista via restitutionem adipisci?

Sic

Sic certe in fornicatione manet meretrix Diaboli, novæ cum sponso Christo desponsationis nequaquam particeps.

Hæc Rev^me. Ill^me. Celsmeq;. Princeps, Domine Clem^me, audacius & uberius perscribere & contexere adlibuit; quia certissimè scio Ill^mam. T. Celsit. tum disquisitionibus ejusmodi theologicis delectari, tum salvificæ religionis immota fundamenta à Luthero fideliter in divina patefactione commonstrata indefesso studio inquirere, & avidè tenaciterq; amplecti, de quo animo singulari Spiritus sancti gratia, Rev^mæ. Ill^mæq;. T. C. concesso ex corde gratulor, constantiamq; continuam ab eodem Spiritu apprecor.

In ea sane incidimus tempora, ubi parvi & ampli (ut Poeta loquitur) in utramq; aurem dormiunt, ut Satanas libere grassetur, & zizania hinc inde disseminet. Hic si elipei terræ salvifica veræ religionis dogmata curent, ament, tueantur, ut nutritii & patroni Ecclesiæ, ingens hoc est & incomparabile Dei donum.

O Jehova Trinune! tu nobis hoc perpetues deinceps & semper perennes!

Nostrum est orare, sancte vivere; quin etiam vigilare & laborare. Multi Theologi in sua statione acriter dimicant: ignita Satanæ tela reprimunt; insidiosis ejusdem incursionibus ξυὺ θεῷ resistunt: quos si ego velut levis armaturæ miles à tergo sequar, & ἐπιβάλλον μέρος conferam, non videar reprehendi jure posse.

Ut igitur pro concione, quoties datur occasio fraudes & insidias Diaboli detego (sive placeant, sive displiceant monitiones ejusmodi, nihil curo) sic jam disquisitiones quosdam scholasticas, in quibus juventuti meæ fidei commissæ vera fundamenta quarundam Philosophico-Theologicarum controversiarum pro captu scholæ demonstrare adlaboravi, tumultuariè revisas publicari permitto ad gloriam Dei, Ecclesiæ utilitatem & juventutis commodum promovendum.

In-

Inscribo autem tibi Rey me. Ill me. Cels meq; Pri. Dne. Cle me. tum ut Patri patriæ meæ post præmissam ante annum votivam gratulationem aliquod offeram munusculum, quod fieri solitum ostendit historia Josephi Pro-Regis Ægyptij Gen. 43. 11. tum quod Ill mam. T. Cels, in ejusmodi disquisitionibus Theologicis, quibus pura orthodoxia propugnatur, non tantum cum summa delectatione versari, verum etiam bene exercitatam & subactam, adeoq; puritati religionis deditissimam esse sciam: Unde plane mihi persuadeo hasce commentationes utut plurimorum incurrerint sinistram censuram, tutum receptum apud Ill mam. T. Cels. inventuras.

Sic me meaq; studia Rey mæ. Ill mæq; T. C. eandemq; T. C. Uni Soli Vero Jehovæ Patri Filio Spiritui sancto, cum Ill ma.

&

& Cel^ma. conjuge & principe Sobole ardentibus precibus commendo, Amen, Amen,

Scrib. Magd. die X. Novem. qui Christiano sacer

ANNI

cI ↄ. Iↄ. C. XVI.

R^a mæ. Ill mæq;. T.C.

Humilimus Cliens

M. Andreas Cramerus ad D. Johan. Evangel. Pastor Magdæb.

Ad M. Cramerum.

Si bene te novi, ut novi, Cramere diserte,
Haud vacuum pateris prætériisse diem.
Carmine nunc ludis, nunc proficientia pubi
Niteris argutâ scripta parare manu.
Sacra sed inprimis tractas: Scopus ille laborum
Unicus, ut pietas enthea labe vacet:
Exulet & ludis fanaticus error, & ævi
Simplicitas prisci nunc quoq; templa regat,
Macte hoc proposito: macte isthac merce beatâ:
Institor hoc superis nomine gratus eris.

Henricus Meibomius, Poëta & Historicus.

Ad eundem

O decus Aonidũ, decus ô Cramere catervæ,
Quæ roseo Christi sanguine pulcra nitet!
Perge piis ausis, post doctas cautius artes,
Asserere æterni dogmata sacra Dei:
Perge piis ausis calvas prosternere nugas,
Perge placere bonis, perge placere Deo.

M. Christophorus Hirschius Pag. Frosa.

ξὺν θεῷ

I.

DE VERO THEOLOGICO ET PHILOSOPHICO.

PROOEMIOLUM.

DE duplici veritate hactenus inter Philosophos & Theologos acris disputatio fuit agitata; Ut vero discipuli nostræ fidei commissi videant, intra quas metas decurrendum sit ei, qui errationis periculum hîc effugere velit, pauca nos monebimus.

THESIS I.

Veritas in Philosophia inculcatur multiplex. Est veritas in Metaphysica,

est veritas in Logica, est veritas in Ethica.

2. Veritas Metaphysica est in ipsis rebus, propria sc. entitas, Unde res denominatur vera & à ficta distinguitur: Sic aurum dicitur verum, quando ab apparente distinguitur; homo verus, quando à statua discernitur; Deus verus, quando ab idolis sejungitur.

3. Dicitur ergo hoc modo res vera per suam entitatem propriam & debitam, quæ si adest, vera res dicitur.

4. Veritas Logica est in intellectu, scilicet ejusdem adæquatio ad rem: hîc igitur & animi conceptus, & consequenter enunciationis sermo cum re ipsa congruere debet; quod Ramus

mus in definitione axiomatis veri requirit. Id enim enunciat, uti res est.

5. Pulcrè Scaliger Exerc. 307. sec. 9. Veritas (ait) haut efficit intellectionem: semper enim verum intelligeretur: sed eam consequitur: & est adæquatio notionum, quæ sunt in intellectu, cum rebus. Quin etiam in simplici intellectione nulla est. In composito, quod complexum vocant, veritas non intelligitur, nisi per reflexionem. Res enim intelligitur. At in rebus non inest veritas, sed in speciebus junctis in intellectu, & secundo loco in oratione.

6. Hinc post Sect. 27. Intellectus (inquit) ex convenientia cum re, verus: ex disconvenientia non verus.

7. Opponitur igitur Logicæ veritati falsitas, quando animi notio in intellectu non convenit cum rebus externis.

8. Veritas Ethica est consensio mentis cum gestibus dictis & factis externis.

9. Contra quando gestus dicta & facta externa à cogitatis & sensis animi discrepant, falsitas Ethica oritur, quæ dicitur mendacium & hypocrisis.

10. Exemplum habemus in Davide & Jonathane 1.Sam. 20. quod loquebantur, lacrymabantur, in mutuos ruebant complexus, citra hypocrisin ex imo cordis meditullio fiebat. Contra Saul matrimonio jungens filiam juniorem Davidi simulabat amorem & favorem externis factis & verbis, in corde aliud cogitabat 1.Sam.18. qualis

lis hypocrisis jam apud multos pro politica prudentia habetur.

11. Verum enimvero Logica veritas & falsitas non semper coincidit cum veritate & falsitate Ethica.

12. Fieri enim potest, ut aliquis falsum dicat, enunciando id, quod cum re non consentit; mendacium tamen non profert. Ex. gr. Si garrula fama & relatione jactetur Turcam Papamque omnem abjeciisse religionem falsam & idololatricam, jamq; purum Evangelium Christi acceptasse: Si quis id audiens credat, & alteri referat falsitas ibi quidem est Logica, (non enim res ipsa cum enunciatione congruit) non tamen mendacium est. Nam mentiri est à mente ire (ut quibusdam placet) & aliter quam mens sentit pronunciare, quod in hoc casu non fit, confer. Scal. exercit. 2.

13 Sic fieri potest, ut aliquis enunciet, quod cum re consentit, attamen cum ejus, qui enunciat, animo non cõsentit. Exemplum præbent Beza & Farellus, qui à Gallicis Calviniſtis in Germaniam ablegati ad Evangelicos Principes, ut intercessionem ad Regem Galliæ pro captivis impetrarent, Lutheranis Theologis VVormatiæ obtulerunt confeſsionem, in qua fatebantur & expreſſe dicebant, ipſam carnis Chriſti ſubſtantiam exhiberi in ſacra cœna &c. poſt reprehenſi à Tigurinis Theologis, quod confeſsio eſſet Lutherana, reſponderunt Beza & Farellus, opus ſibi fuiſſe bono dolo ad liberandos fratres: Item ſe in illa confeſsione clam apud ſe in ſcrinio pectoris ſui duas voces *per fidem*, & *Spiritualiter* retinuiſſe &c. Vid. Oſiandr. centur. 16. p. 657.

14. Sed

14. Sed hæc generatim: ad Logicam veritatem descendemus, quæ non in simplici termino (ut vocant) sed in notionum conjunctione & connexione consistit.

15. Neq; enim vel verum vel falsum enuncio si dico, Petrus: Asinus: Leo: animal: in simplicibus illis terminis neq; veritas, neq; falsitas conspicitur.

16. At si dicam Petrus est Asinus: Leo est animal: Hîc verum & falsum in terminorum connexione eluceſcit. Nam quia posterior enunciatio cum re congruit, vera; quia prior à re discrepat, falsa judicatur.

17. Hinc Scaliger monet, quæ natura conjunxit in rebus extra mentem, eadem per artem in mente connectenda; quæ eadem disjunxit, itidem dividenda esse ut verum enuncietur. Li. de cauſ. lat. ling. cap. 142.

18. Hinc itidem Ramus consentanea affirmando, dissentanea negando enunciari asserit, lib. 2. Dial.

19. Hinc patet accuratiorem veritatis in enunciatione censuram, dependere ex rerum ipsarum comparatione; adeo quidē ut qui vera dicit, nesciat se vera dicere, nisi cum re comparet orationē, ut inquit Scaliger exer. 307 sect. 9

20. Verum enimvero, quia rerum in natura obviarum, quæ rationis captū non excedunt, diversa deprehenditur σύστασις constitutio & dispositio ex diversis essendi modis, non tantum de veritate Logici monent, sed etiam diversos veritatis gradus observant & annotant.

21. Ut enim veritas essentiam rei sequitur, sic diversum essendi modum, unde diversa oritur constitutio, diversus veritatis gradus.

22. Ut

22. Ut igitur rerum rationi objectarum non est eadem constitutio & dispositio, sic veritas itidem rerum constitutioni & dispositioni exactè respõdens, erit diversa.

23. Ex.gr. dicas hominem vel doctũ, vel ægrotum: Si hanc hominis constitutionem velis dignoscere, proprium essendi modum, secundum quem homo, quod hîc esse dicitur, vere est, exquirere debes. Hic vero apparet modus accidentalis. Non enim doctrina vel morbus est de hominis essentia.

24. Si rationalem dicas hominem, hoc respectu aliam deprehendis hominis constitutionem, ex modo essentiali necessitatis participe.

25. Hinc igitur veritatis in rebus humanis obviæ varietas quædam colligitur.

26. Quantacunq; vero ista sit, eadem

omnis concludi certis finibus facile potest.

27. Neque enim infiniti sunt essendi modi in rerum natura universa obvij, in quibus ut rerum constitutio & dispositio consistit, ita veritas fundatur.

28. Labor sane difficilis, at non impossibilis. Nam ratio sua quadam nativa capacitate & habilitate ad rerum humanarum veritatem disposita & commensurata, nativo genio & insita indole omnium rerum veritatem vestigando percurrit, ut ita diversi essendi modi, indeq; orta rerum constitutio varia, paulatim in inquisitione innotescat.

29. Exinde in Metaphysicis, entis modos & affectiones tum unitas tum disjunctas (ut vocant) observatas annotarunt & descripserunt Philosophi.

30. Hinc

30. Hinc porro in Logicis diversam simplicium terminorum ad se invicem χέσιν & affectionem distinctis argumentorum, consentaneorum, dissentaneorum, comparatorum &c. generibus, vel prædicabilium classibus demonstrarunt, ut enunciationum atque prædicationum fundamenta pro diversis veritatis gradibus ostendendis proponerent, ad intellectuales conceptus rebus enunciatis exactè adæquandos.

31. Nam si non tantum veritas, sed etiam veritatis gradus patere debet in notionum cum re ipsa adæquatione (Vid. Pfaff. comment. de prædic. sacram. p. 15. 40.) Ergo simplicium terminorum affectio ex modo essendi accuratè æstimari debet, ut conceptæ animo notiones ipsissimæ rei constitutioni & dispositioni exactè respondeant.

32. Cum

32. Cum igitur essendi modi simplicium terminorum affectionem suppeditent, ut inde conceptus intellectuales rebus enunciatis adæquentur, sequitur 1. res quarũ sunt illi modi, cum sua constitutione & dispositione inde emergente captum rationis humanæ non excedere. Nam si excederent nulla fieri adæquatio posset. 2. Rationem certa capacitate & idoneitate ad res ipsas earumq; veritatẽ commensuratã & proportonatam esse. Si enim id non sit, frustra adæquatio intellectualis tentetur.

33. Ex his igitur fundamentis de veritate Philosophica naturali rationis luce comprehendenda judicatur; quæ uti ex usitatis essendi modis in ordinario naturæ cursu obvijs dependet, & in ijsdem fundatur & consistit, sic naturali & ordinariæ rerum humanarum consti-

ſtitutioni & diſpoſitioni correſpondet.

34. Ut igitur naturalis & ordinaria rerum humanarum diſpoſitio & conſtitutio in Logicarum prædicationum principijs ſeu fundamentis ex eſſendi modis Metaphyſicis exſtructis adumbratur, continetur, finitur: Sic ratio ſtudio Logico & metaphyſico ad res humanas in communi naturæ ordine obvias, dextrè rectèq; intelligendas inclinatur continua adſuefactione.

35. Jam ergo quæritur, quid de myſterijs divinis earumq; veritate ſit ſtatuendum? Numquid myſtica rerum myſticarum conſtitutio & diſpoſitio uſitatæ & ordinariæ rerum humanarum conſtitutioni & diſpoſitioni conformis? Numquid eſſendi modus myſticus, quo id quod in myſterio enunciatur, vere eſt, quod eſſe dicitur, ad aliquem eſſendi modum naturaliter co-

cognitũ & in ordinario naturę curſu obſervatũ congruit? Num hac ratione eadem utrobiq; veritas in rebus Philoſophicis & myſterijs Theologicis deprehenditur?

36. Reſponſum clarum & ſolidum apponimus. Si divinorum myſteriorum conſtitutio & modus uſitatis eſſendi modis non eſt conformis, adeoque ab univerſa humanarum rerum conſtitutione ordinaria diſcrepat, veritas myſticæ reſpondens conſtitutioni & modo, à rerum humanarum veritate longe alia erit, planeq; ſingularis.

Sed prius verum
Ergo & poſterius.

37. Connexio propoſitionis majoris manifeſta eſt. Veritas enim rei conſtitutionem & modum eſſendi ſequitur. Ergo pro diverſa rei conſtitutione, quæ

ex

ex diversis essendi modis dependet, veritas ipsa variatur. Ex thes. 22. E. g. alia est constitutio accidentalis, alia essentialis. Hinc veritas accidentalis à veritate essentiali distinguitur, & ex distinctis essendi modis dijudicatur. Neque enim veritas essentialis modo accidentali, nec contra veritas accidentalis modo essentiali conformatur. Si id fiat, veritas evertitur. Pfaff. in comment. de prædic. sacram. p. 16. & 41. & 45. &c.

38. Quod si vero divinorum mysteriorum constitutio ab universa universæ naturæ & rerum humanarum constitutione ordinaria plane discrepat, adeo ut mysteria suis essendi modis, quibus id vere sunt, quod esse dicuntur, non minus ab universis essendi modis usitatis differant, quam modus accidentalis ab essentiali distat, exinde certe veritas mystica à veritate

huma-

humana (sic docendi gratia dicatur) rectissime distinguitur, ne quæ diversi sunt generis confundantur.

39. Quin imo major hic distinguendi nesitas conspicitur, quam in accidentali & essentiali veritate sejungenda. Quæ enim tum essentialibus tum accidentalibus essendi modis congruunt, eadem & sub naturalium seu humanarum rerum ordine sunt, & naturali rationis humanæ capacitate percipiuntur, ex th. 32. quod utrumq; de divinis mysterijs dici nequit.

40. Assumtio probatur. 1. Ex Paulo 1. Cor. 2. v. 13. ἃ λαλοῦμεν, οὐκ ἐν διδακτοῖς ἀνθρωπίνης σοφίας λόγοις, ἀλλ' ἐν διδακτοῖς πνεύματος ἁγίου. Πνευματικοῖς πνευματικὰ συγκρίνοντες. Hic Paulus doctis humanæ sapientiæ λόγοις & ita rationi naturali sua luce ex normis logicis judicanti plane subtrahit mysteria. Si eorundem constitutio

ſtitutio normis Logicis ex uſitata rerũ humanarum conſtitutione expreſsis eſſet conformis, non ſubtraheret, ſed ſubjiceret.

41. 1.Cor.1.v.18.19 20.21. aſſerit Paulus divinam ſapientiam in myſteriorum veritate conſiſtentem & propoſitam, ſi ad ſapientiæ humanæ normas & principia comparetur, judicari ſtultitiam. Unde denuo patet, nullam hîc eſſe conſtitutionis in myſterijs & rebus naturalibus conformitatem, nec conſequenter veritatem eandem. Quippe tanta hic oſtenditur diverſitas & diſcrepantia, quanta eſt inter ſapientiam & ſtultitiam. Conf. Pfaff. com. de prædic. ſacram. p.57. & ſeq.

42. 2. Aſſumptio itidem probari poteſt exemplorum inductione: Myſterium longe maximum eſt, de Jehova Trinuno, de æterna generatione filij

patriæ qualis : de processione Spiritus sancti: de trium personarum realissima differentia, salva essentiæ unitate & simplicitate; de mirabili creatione ex nihilo: de filij Dei incarnatione, adeoq; toto redemtionis & restitutionis opere.

43. Anne hîc usitatam rerum naturalium constitutionem urgere, & mysteria ad usitatos essendi modos examinare & revocare potes? Multum sanè sudarunt, & laborarunt Piscator, Goclenius & alij Calviniani. Sed doctissimi Buscheri (ut alios taceam) mysteriorum sublimitatem & singularitatem gravissimè adseruerunt & vindicarunt, atq; adeo incomprehensibilem rerum mysticarum veritatem enervari, fidemq; Catholicam funditus everti analogicis reductionibus, tropologijs, alijsq; sophisticis illusionibus clarissime demonstrarunt.

44. Sal-

44. Salvis ergo præmisſis ſyllogiſmi, integra manet concluſionis aſſertio, de diverſa planeq; ſingulari myſticarum rerum veritate. Ut enim propter diverſam rerum conſtitutionem veritas eſſentialis à veritate accidentali diſtinguitur, Theſ. 23. Sic potiori jure veritas myſtica à veritate humana (ſic diſcretionis gratia dicatur) ſecernetur. Ex the. 39. Veritas eſſentialis alium habet eſſendi modum, in quo fundatur: alium habet eſſendi modum, in quo fundatur veritas accidentalis. Sic myſtica veritas ſuum habet eſſendi modum peculiarem & myſticum, in quo fundatur.

45. Ergò qui putat, præter uſitatos eſſendi modos non eſſe alios, quibus verum aliquid eſſe poſſit, & quidem peculiariter à Deo conſtitutũ, vehementerfallitur.

Nos sacris edocti literis, ex ijs quæ explicata sunt, cum Luthero asserimus aliud verum id divinis, aliud in humanis rebus contineri.

47. Quod in rebus humanis est, naturali rationis luce exquiri & capi potest, quod in divinis est mysterijs, ratione comprehendi non potest. Rationis enim capacitas supra genus rerum humanarum earumq; veritatem non adsurgit, ex thes. 32. & 34.

48. Qui in hac controversia dicunt, horum axiomatum:

Bis quatuor sunt octo:

Triangulum habet tres angulos duobus rectis æquales:

Homo est animal rationale:

non esse aliam in Theologia, aliam in Philosophia veritatem, nervum ipsum aut non vident, aut videre nolunt. Ament ergo suas nugas, per nos licet.

49. Qui

49. Qui in hac controversia dicunt, propterea non idem esse verum in Theologia & Philosophia, quod diversæ professiones de eadem re non agant, neq; idem subjectum considerent, illi nervum hîc nequaquam attingunt, sed χρησφύγετα quærunt.

50 Suas sibi Physica, suas sibi Mathesis, suas sibi Politica res vendicat. Ergo sua Physicarum, sua Mathematicarũ, sua Politicarum rerum veritas est. Sed omnium istarum rerũ in diversis disciplinis positarum veritas quadrat ad normas veritatis Philosophicas ex fundamentis metaphysicis in prædicationum doctrina Logica exstructas.

51. Manet ergo quæstio integra, an eadem sit ratio sublimium mysteriorum Theologicorum, ut quæ ibi in luce verbi revelati explicatur maxime singularis veritas, ad normas Philosophi-

cas similiter quadret? atq; adeò mysteriorum mystica constitutio & dispositio, naturali rerum humanarū constitutioni & dispositioni conformis deprehendatur? quemadmodum conformitas inter rerum Physicarum, Mathematicarum, politicarum constitutionem & dispositionem habetur.

52. Hîc dextra & ingenua confessione & explicatione opus est, qui mysticæ veritati velit satisfacere.

53. Arcessimus huc Judicium cujusdam Philosophi, qui ita differit: Distinxi adversario res illas, quæ sunt meræ revelationis ab ijs, quas Paulus Rom 1. asserit aliquo modo notas esse, ut sunt; Deum esse, Deum esse justum; Deum esse vindicem scelerum. Hæc enim etiam ratio dictat, quæ tamen de incarnatione filij Dei, Trinitate, fide justificante nihil intelligit, nisi illustrata Spiritu sancto. Atq; hoc sensu concessi lu-

bens, & concedo etiam hodie, multa vera esse in Theologia, de quibus cum Philosophia nihil sciat, neq; vera in ea sunt neq; falsa, nō magis quam in juris prudentia aut Medicina. Hactenus ille.

54. Nos cætera seponimus: duo hic observamus. 1. Concedit autor ille, multa vera esse in Theologia, qua supra captum & ambitum Philosophiæ exsurgunt. Nos explicamus id clarius: Mysteria Theologica non tantum abstrusa sunt & abscondita, ut rationis opera Philosophica investigari, & erui non possint, sed etiamsi ex scriptura proferantur, proponantur, & explicentur, tamen non possit capi, intelligi, & acceptari eorundem veritas naturali rationis luce. 1. Cor. 1. & 2.

55. 2. In Philosophia neq; vera neq; falsa esse mysteria ejusmodi: Ratio additur: Quia Philosophia nihil de ijs sciat. Videamus nervum.

56. De quibus Philoſophia nihil ſcit, hæc neq; vera neq; falſa in eâdem æſtimantur.

Sed de ſublimibus myſterijs Theologicis philoſophia nihil ſcit.

Ergo neq; vera neq; falſa &c.

57. Reſp. 1. veritas ſequitur intellectionem, teſte Scaligero. Quod igitur in intellectum non cadit, idipſum veri & falſi cenſuram hac ratione effugit, ſc. quandiu ignoratur. Jam vero myſteria Theologica in philoſophia ignorantur. Neque enim vel ex principijs naturâ notis, vel exinde formatis concluſionibus ſubducuntur. Ergo myſteria Theologica hac ratione veri falſiq; cenſuram effugiunt, ſc. quandiu ignorantur. Verum hîc controverſiæ cardo non verſatur.

58. 2. Si jam quod philoſophia ex ſuis præſuppoſitis principijs extruere & aſſequi

sequi non potest, indeq; ignorat, aliunde sc. ex patefactione & testificatione divina innotescat & proponatur, quid tum fiet? an putas philosophicum judicium hic posse cohiberi & suspendi, ut neq; verum neq; falsum æstimetur? putasne, si quod offertur ad normam veritatis philosophicam examinetur, neq; verum neq; falsum id censeri?

59. His præmissis accedo ad syllogismi propositionem majorem: De quibus philosophia nihil scit, (ex suis principijs) eadem (si aliunde revelentur & proponantur) neq; vera neq; falsa inde æstimantur: Falsissima hæc est propositio.

60. En demonstrationem: philosophia nihil scit de communicatione idiomatum, de cœnæ & baptismi negocio: & tamen Calviniani ex physicis principijs & alijs contra articulos istos pugnant.

Philosophia nihil scit de hominis justificatione per fidem: & tamen pontificij cùm Photinianis ex principijs Ethicis eandem infringere adlaborant.

Philosophia nihil scit de resurrectione carnis: Et tamen Philosophi Athenienses oppugnarunt eandem, judicium suum non cohibuerunt, Act. 17.

Philosophia nihil scit de merito Christi crucifixi ministerio verbi explicato: & tamen sapientes Græci ex sua sapientia habitam de Christo crucifixo concionem stultitiæ damnarunt, 1. Cor. 1.

Philosophia nihil scit de regeneratione, peculiari & miraculosa Sp. sancti operatione per verbū præstanda & efficienda in homine refractario & inhabili. Hîc tamen se miscet Philosophia, & regenerationem nullam fieri

fieri ſtatuit, niſi per habitus in fuſos. Habitus autem qualemqualem in homine potentiam præſupponit. Hinc pontificij ex Metaphyſica obœdientialem, quidam alij à ſynergiſtarum caſtris non procul remoti ex logico qualitatis prædicamento paſſivam receptivitatis potentiam ſubſternunt, quæ faciat, ut habitus recipi poſſint.

Sic igitur Philoſophia in rebus ignotis, ſuum judicium non cohibet, ſed quod offertur vel falſum vel verum judicat, repudiat, corrigit, depravat ſub emendationis prætextu.

61. Hinc paulus jubet captivare λογισμὸς & πᾶν νόημα 2. Cor. 10. 5. Ergo etiam Philoſophicam. Luth. Tom. 1. Jen. Lat. pag. 567. Hinc cavere jubet

jubet ne decipiamur per philosophiã. Col.2.8.

Hinc ψυχικὸν ἄνθρωπον negat posse capere mysteria spiritualia; si æstimet ex sua sapientia mundana, habere dicit pro stultitia 1.Cor.1. &c.

62. Ubi ergo manet superior assertio, mysteria Theologica neq; vera neq; falsa ex censura philosophica æstimari? Concisus syllogismi nervus labascit destructa majore propositione.

63. Minorem mitto: hoc obiter addo; Si philosophia nihil scit de sublimibus mysterijs Theologicis; Ergo à censura & examine abstineat, neq; sua placita admisceat.

64. Sed abrumpo & concludo ex superiori disquisitione, à veritate rerum humanarũ plane diversam maximeq; singularem mysteriorum veriratem esse propter rerum mysticarum constitu-

stitutionem & dispositionem maxime singularem, planeq; diversam à naturali naturalium rerum dispositione & constitutione.

II.

DE PHILOSOPHICO RATIONIS JUDICIO in rebus mysticis.

THESIS I.

DIxit quidam, quia philosophia de mysterijs Theologicis supra captum rationis evectis nihil sciat, eadem neq; vera neq; falsa esse in philosophia. Inquiramus.

2. Hîc I. quærimus, an jam vel nativa rationis indoles, vel doctrina & institutio ejusdem ferat, ut à mysteriorum Theologicorum si proponantur, censura

sura abstineat & suum judicium cohibeat, tanquam in rebus captum humanum superantibus.

3. Hic diserte & aperte suam ratio indolem depingit & explicat quando hoc sibi jus arrogat (in Logicæ objecto) ut de omni ente & nonente, quicquid demum offeratur, differat & judicet, atq; adeo differendo & judicando veritatem (qui finis præfigitur) inquirat. Hoc jus suum ratio sibi nunquam eripi patietur.

4. Accedit informatio logica, Ubi tum rerum in universa natura obviarum σκιαγραφία prædicamentalis proponitur, ut hoc modo rationi in latissimum universæ naturæ campum deductæ, frena laxentur ad libere ubiq; discurrendū: tum omnis differendi, ratio edocetur, ad omnem veritatis uspiam obviæ, apodicticæ, topicæ, &c. varietatem

tatem vestigandum, consectandum, ut ita rationis opera logica directione applicatione & adsuefactione in suo munere firmetur.

5. Nihil hic traditur de rationis judicio in ulla re cohibendo, supprimendo, retrahendo, captivando: Id deinceps sacrosancta monet Theologia. Logica tantum normas præscribit rationi in suo disserendi munere usurpandas: secundum illas normas libere per universam rerum naturam disserendo vagari rationi permittitur: nihil subtrahitur, nihil excipitur. Neq; enim scitur, quædam supra rationis captum posita, adeoq; subtrahenda & excipienda à rationis censura esse; ex th. 1.

6. Hinc qui rationi sua frena libere laxant, logicam dicunt instrumentum esse verum à falso discernendi, ut in Philosophia, sic & in Theologia,

Goclen.

Goclen. disquis philosoph. 23. p. 108. Logicæ finem non ad philosophiam tantum, sed æque ad Theologiam restringendum Johan. Philip. Pare. logic. p. 3. Theologiam non subjici quidem Logicæ, ut veritatem ipsam à Logica accipiat, subjici tamen quoad percipiendæ veritatis modũ, Casm. in assert. philosoph. Christi. p. 288. & seq. argumenta logica mutuam simplicium terminorum affectionem (in qua veritas prædicationum fundatur) complexa, esse generalia & rebus quibusvis applicabilia, adeo quidem, ut mysteria cœlestia inde non magis excipienda fuerint, quam vel à grammaticæ locutionis, vel Rhetoricæ modificationis legibus, Idem Casm. p. 294. 299. 301. 302. &c.

7. Hinc qui rationi sua frena libere laxant, incomprehensibilem & singulariter

lariter à Deo constitutam mysteriorum veritatem ad rationis captum revocare & conformare conantur, adductis in subsidium miris miserisq; deductionibus, analogiis, tropologijs & alijs nugis, ut ita inusitata prædicatio & cum eadem veritas mystica plane tollatur, quod abunde hactenus Calvinianorum rationis ductum unicè sequentium conatus & disputationes comprobarunt.

8. Hinc clarissimè patet superba humanæ rationis persuasio, qua non vult quædam supra suum captum constituta concedere.

9. Ergo ratio de rebus mysticis audiens, examen adornat & inquisitionem instituit, ut veritatem vel falsitatem eruat & dijudicet. Hoc primum: io. II. Quando ratio quod ex rebus mysticis offertur, æstimat & dijudicat,

vide quid accidat! Theologia dicit: DEUS EST HOMO: Numquid hic ratio Philosophicum suspendit judicium ob mysterij ignorationem?

11. Imo ex Physica hominis, ex Metaphysica Dei natura (ut Philosophi contendunt) rationi patet. Hîc ergo disquirit & vestigat mutuam rerum in subjecto & prædicato enunciationis contentarum affectionem, indeq; deprehendit, magis esse disparatam prædicationem, DEUS EST HOMO, quam si dicas, HOMO EST ASINUS. Est ergo in Philosophia simpliciter impossibilis & absurda propositio, ut Lutherus in disput. anni 39. Tom. 1. Jen. Lat. p. 567. verissime adserit.

12. Theo-

12. Theologia dicit de benedicto Sacrosanctæ cænæ pane: HOC EST CORPUS CHRISTI IN MORTEM TRADITUM. Hic Ratio Speculatur, quid sit panis, quid sit corpus morti obnoxium: Nullam sibi imaginatur ignorantiam, sed censuram molitur ad sua sibi nota respiciens principia, quæ deserere non potest;

13. Non secus ac Nicodemus, qui cium Christus de regenerationis mysterio disserebat: Amen Amen, dico tibi, nisi quis natus fuerit denuo, non potest videre regnum Dei, Johan. 3. 3. Hic ad naturalem naturæ ordinem & dispositionem, physicamq; generationis definitionem & proprietates unicè respiciens v. 4. ait: Quomodo

potest homo nasci cum sit senex? Numquid potest in ventrem matris suæ secundo introire & gigni. Conf. Pfaff. in comment. de prædic. Sacram. p. 4.

14. III. Quando igitur ratio ex suis principijs de Mysterijs Theologicis judicat, sublimis eorundem veritas, qualis in verbo revelato describitur & determinatur, naturali lumine aut cognoscitur & acceptatur, aut ignoratur & repudiatur.

Non illud
Ergo hoc.

15. Assumtio inde patet: 1. Justa veritatis censura & intelligentia suum certum habet fundamentum in propria cujusq; rei ex essendi modo determinata constitutione & dispositione, ut alibi monstratum. Jam vero mysteriorum non est talis constitutio & dispositio, quæ naturalium rerum constitutioni

tioni & disposítioni sit conformis: Mysteria quod verè sunt, non sunt secundum aliquem in natura obvium & rationi notum essendi modum, ut suo tempore probatum. Quid ergo ratio in mysterij veritate asequetur? quo fundamento innitetur?

16. 2. Ratio nativa lucis suæ capacitate ad rerum naturalium secundum usitatum naturæ ordinem & dispositionem consistentium veritatem & intelligentiam disposita & commensurata, ad res sublimiores non adsurgit, neq; adsurgere potest; quippe in naturalibus sæpius deficiens, Joh. 3. 12. 1. Cor. 2. 14.

17. 3. Si ratio Philosophicis studiis excolitur, tantum nativæ capacitatis perfectionem institutio meditatur, indeq; ad rerum, quæ rationi patent, intelligentiam & veritatem vestigan-

dam & æstimandam, commodam aperit viam, atq; ita continua adsuefactione ad naturalem naturalium rerum constitutionem & dispositionem, indeq; exstructam veritatis normam determinat. Quam ergo inde veritatis mysticæ intelligentiam & censuram speres?

18. 4. Quid dicam de tenebris spiritualibus, quæ amissæ luci divinæ imaginis successerunt? Ipse homo dicitur tenebræ, Eph. 5. v. 8. quæ lucem verbi non comprehendunt, Johan. 1. v. 5.

19. Hinc igitur in hominem non tantum simplex ignorantia rerum mysticarum, qualis rerum humanarum perquam maxima in unoquoq; nostrum deprehenditur, sed contranitens & oppugnans inimicitia oritur. Rom. 8. v. 7. 2. Cor. 10. 5. est ἀδυναμία reluctans

luctans Spiritualium rerum cognitioni 1. Cor. 2. 14.

20. Nihil ergo ratio ex suis sibi notis principijs efficere possit in mysticæ veritatis intelligentia & perspicientia: omnis aptitudo, omnis potentia ad spiritualia evanuit. Solus Deus dat illuminatos oculos mentis Eph. 1. 18. ut convertamur à tenebris ad lucem Act. 26. 18. dat intellectū ut discamus ejus testimonia Ps. 119. 34. quod nisi fiat, nihil homo potest ex naturalibus viribus Deut. 29. v. 3. 4. Inobædientiæ plurimum, obœdientiæ nihil omnino in hominis viribus deprehenditur: Inobædientia divina virtute retunditur, obœdientia fidei efficaci Spiritus sancti operatione in verbo donatur ex divinæ præscientiæ decreto Rom. 1. 5. Cap. 6. 17. 1. Pet. 1. v. 2. 2. Cor. 10. v. 6.

21. Manet ergo rata superior Syllogismi adsumtio.

22. Unde patet, quid de rationis judicio in rebus mysticis sit statuendum.

23. Utinam hoc omnes perpendant, qui quævis dogmata theologica ad rationis captũ revocare & conformare suis conantur analogis, reductionibus, tropologis alijsq; ineptijs. Purior certe maneret nobis & posteris Theologio.

24. Recte D. Rungius statuit, non tantùm, si axiomata philosophica contra Theologica mysteria conducta adhibeantur, verum etiam si misceantur placida quasi inita consensione, orthodoxiam Theologiæ deperdi: in disput. super prior. ad Corinth.

25. Ratio est: quia regulæ philosophicæ ex communi naturæ cursu & ordinaria rerum naturalium habitudine expressæ & collectæ, non nisi communem ordinariamq; rerum naturalium con-

constitutionem & dispositionem concernunt, à qua si mysteriorum constitutio & dispositio discrepat, fieri non potest, quin paulatim singularis mysteriorum vigor inde enervetur.

26. Quod hactenus Calvianorum, & qui cum illis faciunt, molitiones abunde comprobarunt.

27. Sed abrumpo & concludo, rationem naturali sua luce & philosophico judicio in mystica rerum divinarum veritate nihil posse: quippe ignorantia cum ineptitudine & ἀδυναμία intelligendi conjuncta in apertam reluctantiam desinit, nisi statuas, rationem posse seipsam captivare & sua principia ex sese deserere.

III.

DE DUPLICI HOMINIS LUCE.

I.

DUplex homini in creatione lux indita: altera perijt plane extincta; altera remansit labefactata.

2. Remansit lux rationis, extincta est lux imaginis divinæ: unaquæq; autem suum habuit distinctum objectum.

3. Rationis luce homo rerum naturalium ad vitam terrenam pertinentiam intelligentiam inquirebat, usum dirigebat.

4. Lux imaginis divinæ intimo animæ meditullio, insinuata & increata mentem hominis ita illustrabat, ut Deum & quæ Dei sunt, hominis saluti destinata assequeretur & comprehenderet, ad cœlestē vitam in vera sanctitate vivendam.

5. Post

5. Post lapsum ubi lux spiritualis amissa est succedentibus horribilibus tenebris, reliqua lux rationis dicitur naturalis: quæ vero in regeneratione per novam spiritus illuminationem ad aliqualē amissæ imaginis conformitatem restituitur, lux spiritualis, non naturalis diciur, quia jam non radicatur in anima ut lux rationis, sed à Spiritu sancto ex verbi luce accenditur sine præcedente capacitatis potentia.

6. In prima Creatione utraq; lux hominis naturæ inistat & increata, ex Jehovæ Creatoris deliberato consilio, quod instar verisimæ & certisimæ definitionis, hominis naturam commodisime aperit & describit, naturalis arguitur.

7. Ergo

7. Ergò naturalia non manserunt integra, amissa luce imaginis divinæ.

8. Lux rationis reliqua non est pars amissæ lucis spiritualis Imaginis divinæ: hæc quippe ita totaliter deperdita & extincta, ut non modo nulla scintilla, sed ne capacitas quidem & potentia ad recipiendam spiritualem regenerationis illuminationem remanserit.

8. Quid ergo statuendum de impudentissima adsertione Calviniſtarum? Logica (quæ rationis lucem quasi depictam ostendit) est pars imaginis divinæ in homine: Casman. in adsert. Christ. philosoph. p. 293.

Item in Logica divinæ imaginis expressior imago, quam alibi depicta est: Keckerm. in Epist. dedicat. ad Ill. principem Mauritum, præfixa syst. Logico.

Item

Item Logica est quadantenus ars captivandæ rationis in obsequium fidei: Casm. dicto libro, 279.

Obone Christe! quorsum tandem audacia temeraria istorum erumpet hominum, qui cœlum terræ miscere audent! Quanta hîc lateat absurditatum abyssus, suo loco ostendetur.

προθεωρία.

PLACET HIC CONSIMILIS ARGUMENTI EPISTOlam ad Nobilissimum Heroem Henricum Albertum Mynsingerum à Frundek &c. b. m. perscriptam attexere.

Salutem à Christo unico salutis autore.

NObilissime Mynsingere Fautor honorande, perlegi cupide sane & non sine insigni lætitia

lætitia ad me missam demonstrationem, quâ φρόνημα σαρκὸς à mysteriorum Theologicorum censura secludis: bene factum! Utinam hoc ipsum adversarij ut nonnunquam ore profitentur, sic corde serio statuerent! minus certe turbarum Ecclesia Christi persentisceret. Dolendum sane est, adeo excæcari & fascinari à Diabolo homines, ut primũ omnis veræ cognitionis Theologicæ principium plane destruant. Sed hîc agnoscimus dominium principis tenebrarum, quod habet in filijs ἀπιστίας. Nostrum igitur est hîc hærere, hîc habitare, hîc laborare, hîc studiose omnia explicare, ut mysteriorum Theologicorum veritas sarta tecta maneat. Hoc igitur nomine tractatus tuus mihi longè carissimus: & ut videas, hoc ipsum sine fuco & adulatione, à qua mea me natura alieniorẽ esse voluit, à me scribi, meam sententiam candide explicabo:

Tu, si per occupationes licet, recognosce & recense. Erat sane ante lapsum in homine lux tũ naturalis, tum spiritualis. De luce naturali nullum est dubiũ. Est enim adhuc in statu corruptionis superstes, cujus beneficio homo non renatus, quidquid aspicit, cogitat, megitatur, agit; aspicit, cogitat, meditatur agit. Qui de luce spiritali dubitat, ex accuratiore consideratione & comparatione subsequẽtis corruptionis erudiri potest. Nam I. Scriptura asserit, obscuratum esse intellectum seu cor hominis Rom 1. v. 21. Ephes. 4. v. 18. occæcatos esse oculos, scilicet non corporis sed cordis 1. Joh. 2. v. 11. Unde cæcitas cordi adscribitur Ephs. 4. v. 18. Ergo ante excæcationem & obscurationem istam intellectus fuit lucidus, cordis oculi fuerunt clari & perspicaces. Quia privatio præsupponit habitum. II. Oculos esse excæcatos atq; intellectũ obscuratũ te-

nebras Ephes. 4. v. 18. 1. Joh. 2. v. 11. Ergo ante exortas tenebras in oculis cordis & intellectu fuit lux. Id enim contrariorum ratio involvit. III. Ex istis tenebris & cæcitate oriri ignorantiam, Ephes. 4. v. 18. quæ graphice à Paulo depingitur, Rom. 3. Non est intelligens, non requirens Deum. Omnes declinaverunt simul invtiles facti. Viam pacis non cognoverunt. Ergo per ignorantiam quæ est in illis, propter cæcitatem cordis alienantur à vita Dei Ephes. 4. v. 18. ambulant in tenebris & nesciunt quo eunt, quia tenebræ excæcaverunt oculos eorum ut Johannes 1. Epist. 2. v. 11.

Hinc patet, quod ista lux ante exortas tenebras & cæcitatem veram Dei & spiritualis vitæ notitiam fuerit complexa. Talis igitur lux fuit intellectus, quæ per tenebras & cæcitatem succe-

dentem

dentem fuit destructa. IV. Istam veræ cognitionis lucem totaliter esse deperditam, & omnino exstinctam, ut nulla ejusdem scintillula manserit α. Quia non tantum hominis intellectus dicitur cæcus & obscuratus, sed ipsæ tenebræ, Ephes. 5. v. 8. quæ novam illuminationem non capiunt, non comprehendunt Joh. 1. v. 5. β. Quia in nullo amplius homine vera est notitia Dei & viæ pacis, Rom. 3. v. 11. 17. imò nec potentia & δύναμις cognoscendi ea quæ sunt Dei 1. Cor. 2. v. 14. Est in homine, qui plane carnalis Rom. 7. v. 17. imo caro est Gen. 6 v. 3. Joh. 3. v. 6. non nisi φρόνημα σαρκὸς, quod Deo est inimicum & legi non subjectum, sed contrarium plane hostiliter, cum non possit subijci Rom 8. v. 7. Ut igitur non tantum actus, sed etiam omnis potentia veræ cognitionis spiritualium myste-

riorum homini denegatur, sic lux spiritualis, cujus capacitate spiritualia apprehendebantur, plane & totaliter & radicitus eversa & destructa arguitur. Quod vero per lapsum destructum & amissum, id ante lapsum hominem habuisse necesse est.

Fuit igitur in homine lux tum naturalis tum spiritualis.

Neq; verò putandum lucem spiritualem fuisse partem lucis naturalis.

Nam quod scriptura totaliter deperditum asserit, ejusdem nulla pars potest esse reliqua:

At lucem spiritualem scriptura totaliter deperditam asserit,

Ergo lucis spiritualis nulla pars potest esse reliqua.

Ergo si qua lux in homine supersit, eadem non potest esse pars lucis spiritualis.

At

At lux rationis naturalis supereſt,

Ergo lux rationis naturalis non poteſt eſſe pars lucis ſpiritualis: Sed plane diſtincta eſt lux à luce ſpirituali.

Poſtquam hoc ipſum ex ſcriptura demonſtratum eſt, quæritur quibus deſtinata uſibus utraq; lux fuerit.

Neq; enim fruſtra vel Deus vel natura quicquam facit. Non autem eſt dubium quin ut homo duplicem vitam juſſus fuit vivere ſcilicet terrenam ſeu, mundanam & ſpiritualem ſeu cœleſtem: Sic pro duplici iſta vita recte vivenda duplici lumine fuerit illuſtratus

1. Dominium rerum mundanarum à JEHova homini conceſſum & injunctum complectebatur earundem tum intelligentiam

tum cognitionem exactam, tum convenientem & salutatem humanæ vitæ usum: (atq; hæc vita erat terrena) Hîc sane opus erat luce aliqua: Et cum post lapsum reliqua rationis luce naturali, istud dominium utcunq; administretur, non est dubium, quin initio ex Jehovæ Creatoris intentione, naturalis lux ad vitam terrenam rectè vivendam homini fuerit concessa. Ut autem in vita terrena homo pro objecto habet res mundanas, earumq; veritatem, sic naturale rationis lumen sine dubio, nativa sua dispositione ad rerum mundanarum veritatem commensuratum fuit. Quæ enim capiunt & capiuntur, commensurabilem inter se habent proportionem. Oculi non nisi ad colorata, aures non nisi ad sonora sunt dispositæ: Sic rationis lux naturalis non nisi ad rerum ternenarum veri-

veritatem capiendam & æstimandam.

2. Contra lux Spiritualis ad vitam spiritualem & cœlestem in hac vita incohandam destinata. Patet hoc ex corruptionis & regenerationis comparatione. Homo per succedentes tenebras alienatus est à vita Dei Ephes. 4. v. 18. & per illuminationem spiritus nova lux propterea in homine accenditur, ut homo divinæ voluntatis beneplacitum & præscriptum de spirituali vita possit agnoscere Rom. 12. v. 2. 3. Ephes. 1. v. 17. 18. & in nova vita ambulare in vias pacis pedes dirigendo Luc. 1. v. penult. Hinc colligimus, quod ut lux naturalis in vita terrena ad rerum terrenarum veritatem æstimandam & recte usurpandam, sic lux spiritualis in vita spirituali ad rerum spiritualium cognitionem & dijudicationem fuerit

à Jehova destinata 1. Cor. 2. v. 14. Sunt autem res spirituales tam ipse DEus, tum omnia quæ Dei sunt, beatæ hominis felicitati destinata, quemadmodum contra res terrenæ, quæ ad hominis in hoc mundo conservationem & propagationem pertinent.

Jam si ostendi potest (ut recte potest) spiritualium mysteriorum veritatem plane esse aliam, neq; congruere ad rerum naturalium naturalem constitutionem & dispositionem, duo inde colligi possunt.

1, Spiritualem lucem mysteriorum veritati peculiari dispositione & proportione esse commensuratam, ut ita homo pro spiritualis lucis mensura spiritualium mysteriorum veritatem sancte exquirere & meditari potuerit.

Nam

Nam etiam Philoſophi dicunt, quale objectum, talis potentia ad illud ordinata Scaliger Exe. 307. ſect. 27. 2. Lucem naturalem ante lapſum ad ſpiritualium rerum dijudicationem adſurgere non potuiſſe. Erat enim peculiari ſua capacitate non niſi ad rerum terrenarum intelligentiam diſpoſita & commenſurata, neq; aſſurgebat ultra & ſupra genus rerum terrenarum earumq; veritatem, &c.

Sic igitur homo in ſtatu integritatis tum res terrenas tum myſteria ſpiritualia cognoſcebat una quidem mente, ſed non una mentis luce: quod obſervare debebant noſtri Novatores, qui omnia in ſacroſancta Theologia perturbant illuminatæ rationis fuco.

Certè ſi ante lapſum lux naturalis abſtinebat à cenſura rerum ſpiritualiũ ſeu myſteriorũ, multo magis jã poſt lapſũ abſti-

abstinere debet. Nam ante lapsum aberat originalis pravitas, quæ jam facit, ut φρονημα carnis sit inimicitia adversus legem. Et quanquam per regenerationis lucem tenebræ innatæ paulatim dispelluntur, tamen nativa naturalis lucis dispositio & capacitas non immutatur & mysteriorum veritati commensuratur, sed qualis ex natura sua est, talis spirituali luci subijcitur, & in obsequium fidei pertrahitur. 2. Cor. 10.

Nihil igitur juris in censura mysteriorum habet: Lux spiritualis sola hîc dominatur: Quo evicto cadunt omnes tropologiæ & reductiones Calvinisticæ ex rationis, hoc est, naturalis lucis judicio deductæ, quibus quando mysteriorum veritas ad rerum naturalium naturalem dispositionem, ad naturalis lucis capacitatem detorquentur,

quentur, omnis mystica veritas plane evertitur. Hos verò incommodorum rivulos qui vult vituare, ipsum fontem obstruere debet. Vides hoc ipsum Nobilisſ. Mynſingere Fautor magne, vides inquam & rectisſimè vera urges fundamenta contra ſuperficiales quoſdam Theologos, qui humanæ rationis decempeda immenſos Theologiæ agros emetiri conantur, ut Scaliger ait.

Præſtas hac in re gratisſimum Eccleſiæ Dei officium, vere nutricius! vere patronus! Clementisſimus pater Cæleſtis te conſervet in agnita veritate; te roboret & confirmet, ut tuis tandem adverſarijs contra musſitantibus os planè obſtruas.

Ego vero Nobilisſ. Mynſingere hæc ad te vberius perſcribo, non ut te erudiam: abſit enim ut hoc mihi ar-

rogem! Sed ut unum in doctrina consensum aperte tester. Tu quæso pro tuo candore & humanitate temeritati & garrulitati meæ ignosce & grati animi memoriam pro nuperis in me collatis beneficijs (aliud enim quod rependam non habeo) ne aversare, Vale, &c.

IV.

DE RELIGIONE CAECÆ RATIONIS LUCI NATURALI conformata.

I.

CAlviniani omnia Theologiæ dogmata, quanquam abstrusissima comprehendunt mysteria, tamen ad normas Logicas revocant & exigunt, adeo quidem, ut in comprehensibilem aliquam

quam veritatem à logicis normis & principiis descrepantem non admittant: quod ipsum summo cum periculo fidei & salutis fieri ita demonstro.

2. Quæ religio naturali cæcæ rationis capacitati conforma est, non potest ulterius assurgere & nova luce spirituali hominem illuminare ad conformitatem amissæ imaginis.

Jam vero Calvinistarum religio naturali cæcæ rationis capacitati conformata est.

Ergo &c.

3. Major propositio patet. Quia qualis EST causa! talis sequitur effectus: nihil potest agere supra suas vires; Goel. in prodromo Lex. Philo. p. 166. & 181. Si ergo religio capacitati rationis naturali conformata asseritur,

asseritur, ejusdem tantum perfectionem meditari, atq; adeo novâ spiritualem lucem rationis luci non congenerem largiri non posse intelligitur.

4. Assumtionem confirmant Calviniani scriptores in suis disputationibus, tum claris dictis, tum vivis experimentis, quando negant Theologiam transcendere regulas logicas, easdemq; acerrime in omni fidei dogmate urgent: quando inusitatas prædicationes & incomprehensibilem discrepantemq; à normis logicis veritatem oppugnant & labefactant, miris reductionibus & tropologiis ad modos rationi notos, quidquid in mysteriis occurrit, revocant, atq; ita naturali rationis cæcæ capacitati & luci conformant & conspicabile reddunt: quod passim videre est.

5. Quærunt hic vulpeculæ astutæ effugium

fugium distinguendo inter rationem cæcam & illuminatam. Cum enim fides requirat rerum ad salutem credendarum cognitionem, rationis operam non posse excludi & sequestrari clamant: Interim tamẽ protestantur nõ se adhibere & sequi in mysteriorum intelligentia rationem cæcam, sed illuminatam, cum verbum Dei quod vera lux est, non seponant sed adsumant.

6. Resp. 1. Est quidem suus rationi locus in Theologia, non tamen admittitur ut principium æstimans res Theologicas suâ norma, sed adsumitur illuminanda propriâ luce destituta & captivanda veritati spiritus reluctans. Ex se & à se nihil hîc potest.

7. 2. Speciosum quidem inventum & plausibilis prætextus est rationis illuminatæ: Sed fucus detegendus est. Ratio de rebus fidei judicans, aut divi-

ni

ni verbi assertione & testificatione unicè nititur, aut suum sequitur ductum extra, præter & contra Dei verbum. Si prius fit, illuminatio præsto est, Psal. 9. v. 9. Psal. 119. v. 105. 2. Pet. 1. v. 19. Si posterius, tenebræ adhuc dominantur, quæ lucem non comprehendunt, Johan. 1. 5. Ephes. 5. 8. Jam æstimentur disquisitiones Calvinistarum & tenebrarū dominium apparebit, illuminatio exulabit.

8. 3. Quod de verbo non sepositio jactitatur, itidem videndum & examinandum est: potest sane verbum haberi sine illuminatione Deut. 29. v. 3. 4. Matth. 2. v. 6. Johan. 3. v. 10. Act. 8. v. 30. 31. Johan. 3. v. 46. 47. Johan. 9. 29. Illuminatio vero tenebras rationis spirituales dispellens oritur ex luce verbi tum, quando ex spiritus sancti efficaci operatione ratio captivatur, ut

ut obediamus in eam formam doctrinæ, in quam tradimur, Rom. 6. 17. in eaq; ut à Deo revelata & prædicata est, stamus immoti 1. Cor. 15. v. 2. 3. Quid autem fiet, si qua ratione prædicatum est verbum, sic non acceptamus neq; in eam formam obœdimus, sed varijs reductionibus & tropologijs alium sensum inferimus? Qua fronte hîc dices captivatam rationem esse in obœdientiam illuminationis participem.

9. Abrumpo & sic concludo: Religio quæ capacitati hominis naturali sua dogmata conformat, non potest aliã in homine regenerando gignere fidem spem, &c. quam quæ in naturali rationis capacitate fundata, eidẽq; conformis sit,

Ergo

Ergo ejusmodi homo regeneratus neq; credet incomprehensibilia, neq; sperabit desperata, ut Abraham & reliqui sancti fecerunt.

Jam quæro qualis hîc fuerit regeneratio? qualis fides? qualis Christianismus? qualis salus?

V.

DE NATURALI DEI NOTITIA, AN EADEM verum Deum comprehendat?

I.

ESSE quandam Dei notitiam naturalem vel ingeneratam, vel ex rerum in natura obviarum consideratione deductam, inter pleroq; constat: An vero ista notitia unus & solus verus Johova

hova comprehendatur, hactenus varie disputatum est.

2. Sunt qui affirmant, sunt qui negant.

3. Qui negant, in nova regenerationis luce veram veri Dei notitiam ex verbo revelato exstructam consistere asserunt: naturali notitiæ vanum idolum adscribunt.

4. Qui adfirmant, distinguere solent inter notitiæ primordialem conceptum, & subsequentem applicationem: In primo conceptu verum Deum apprehendi, postea vero in applicatione ad hoc vel illud objectum seu idolum, aberrationem fieri contendunt.

5. Quid hîc statuendum? Res abstrusa & periculosæ plena aleæ est, ut poeta noster inquit. Inquiramus tamen, non pigri, si erudiamur, meliora sequi.

6. Ante lapsum in spirituali divinæ

E ima-

imaginis luce & secundum ejus lucis disposition em formata notitia Deum Patrem, Filium, Spiritum sanctum, Unum solum verum Jehovam sanctumq; ejus cultum lege præscriptum attingebat & comprehendebat. Sic spiritualis lux imaginis Dei naturaliter homini insita fecit, ut intellectus spiritualia spiritualiter dijudicaret & cognosceret.

7. Spirituali vero luce extincta, si qua restat notitia, in sola luce mentis naturali, consistit secundum ejusdem formata capacitatem & dispositionem.

8. Cùm vero rationis lux naturalis non sit capax mysteriorum Spiritus, prætereaq; spiritualis lucis privatio conjuncta sit cum crassissimis tenebris, perversa ἀδυναμία & inimicitia contra spiritualia, reliqua illa notitia verum Deum & quæ veri sunt Dei, non

non attingit, neq; suo conceptu comprehendit, sed vero Deo & ijs quæ veri sunt Dei, contranititur. Proinde vanum fingit idolum, vanum pingit cultum.

9. Magna est orginalis pravitas & malitia in hominis mente, profunda est corruptio, crassa cæcitas, pertinax contumacia, ut quæ Dei sunt, non tantum intelligere non possit, verum etiam hostiliter oppugnet. Qualis ergo naturalis erit notitia, quæ in luce & conceptu mentis humanæ formata consistet? Certe à prima sui origine erronea, vana, vero Deo & ijs quæ veri sunt Dei contraria, nisi ex corrupta hominis natura remota & in alio subjecto statuatur collocata.

10. A corruptione & pravitate originali ipsa mens liberari nequit: quomodo ergo ab eadem liberari poterit notitia, quæ in mentis conceptu suum habet εἶναι? si non potest liberari, ergo inepta & refractaria est vero Deo concipiendo.

11. Non igitur tutum est naturalis notitiæ veritatem adeo commendare, ut suo conceptu verum Deum, & quæ veri sunt Dei, comprehendere existimetur: in applicatione ad objectum (ut pote creaturas) aberratione facta depravetur.

12. Est certe applicatio ista accidentariũ consequens à notitiæ primordiali conceptu distinctũ. Jam quæro si in applicatione notitia deprovatur, num ante applicationẽ, originalis pravitatis exsors statuatur? Quod si originalis pravitatis particeps est, ineptitudinem dispo-

dispositionemq; Deo vero & ijs quæ veri sunt Dei, contronitentem in sese habet.

13. Quanquam igitur ratio naturaliter sibi aliquod Numen imaginatur tamen verum Deum ignorat. Addimus hoc argumentum.

Quæ notitia non attingit & comprehendit Patrem, Filium, Spiritum sanctum Jehovam Trinunum, verum Deum ignorat & imaginatur idolum Ioh. 8. v. 19. 41. 51. 54. Ioh. 9. v. 29.

Sed naturalis notitia non attingit & comprehendit Patrem, Filium, Spiritum sanctū, Jehovam Trinunum. Matth. 16. v. 17. Ioh. 6. v. 45. 46. 1. Cor. 2. v. 11.

Ergo verum Deum ignorat & imaginatur idolum.

14. Coronidis loco addo egregum

locum D. Lutheri ex Tom. 6. Ien. Germ. Ubi in Articuli secundi explicatione, p. 68. sic differit: Darumb heists also / wer wil recht fahren / das er sage / Ich glaube / Nicht / Ich schliesse / oder vrtheile / das so recht oder nicht recht sey. Den wenn du es wilt vrtheilen / was darffest du den des Glaubens? Wer da gleubt der vrtheilet nicht / sondern lesset sich vrtheilen / vnd gibt sich gefangen in eines andern vrtheil / vnd mit der that sagt / Ich bin hierin ein Narr / vnd verstehe es nicht / Den ich nichts davon gesehen / oder gehöret / oder erfahren habe. Aber weil es GOtt saat / So wil ichs gleuben / das also sey / vnd vnd dem Wort folgen / mein gedancken vnnd verstand lassen nichts sein / So ist er geurtheilet durchs Wort / daran er sich helt / nicht durch sein vernunfft vnd eigen verstand. Wer das nicht thut / der hat nichts vom glauben / noch von GOtt vnnd was Got-

Gottes ist / sondern fehret / als ein blinder / der doch von der Farbe oder vom liecht der Sonnen vrtheilen wil / davon er nie nichts gesehen noch empfunden hat.

Den solt jemand etwas können erlangen mit gedancken vom Göttlichen wesen / vnd sagen / was GOtt sey / so hettens ja die Jüden erlanget / welche haben die schrifft gehabt.

Item die gelahrten Weisen leute vnter den Heyden / die so viel daran gewand / tag vnd nacht mit gedancken darnach gegraben vnd sich wol lassen duncken / Das etwas mehr sein müsse ausser der Creatur / das ein GOtt were / vnd doch sich nicht können drein schicken / wie oder was / noch so viel erlangen / das sie kunten sagen / Das ist Gott / oder so ist vnnd lebt er / etc. Sonst hetten sie es nicht gelassen / sie hetten alle Bücher des vol geflickt.

Weil es nun kein Mensch mit vernunfft vnd sinnen erlangen / sondern allein durchs wort vom Himmel muß offenbaret werden / so heisset es hinfort / Nur die vernunfft gar zugethan vnd geblendet / vnd sich hieher gegeben / etc.

VI.

DE NOTITIA DEI CONFUSA ET DISTINCTA.

I.

QUnt qui verum Deum confuse putant cognosci naturali notitia: distinctam vero Trinitatis cognitionem superaddi ex verbo revelato, vt ita complete Deus Trinunus cognoscatur.

2. Periculose hoc adseritur.

2. Omnis namq; notitia confusa ut promta inclinatione habilitate, & potentia

tentia adspirat ad distinctam, sic ab eadem perfectionem accipiens consolidatur, non destruitur.

4. Est ergo inter notitiam confusam & distinctam non pugna & oppositio, sed placida consensio & conspiratio.

5. Iam vero inter notitiam naturalem & revelatam, non est placida consensio & conspiratio, sed pugna & collisio oritur, in qua naturalis notitiæ judicium omnisq; cogitatio contra Trinitatis mysterium insurgit, non modo id ipsum nativa capacitate non comprehendens, sed etiam secundum perversam dispositionem abijciens, atq; adeo Patrem, Filium, Spiritum sanctum Deum unum verum solum pro Deo agnoscere recusans.

Patescit hoc ipsum & regeneratio hominis, ubi Spiritus sanctus non placidam imperfecti perfectionem ad-

hibet, sed captivatione utitur: imo per modum mortificationis & vivificationis nova regenerationis dona & bona largitur, ut vetera evanescant, omnia fiant nova, ipseq; homo nova creatura 2. Cor. 5.

7. Patescit idem ex refractaria humanæ mentis ἀδυναμία & ineptitudine, quæ in symbolicis libris Form. Concord. & Corp. Jul. sub titulo liberi arbitrici, luculenter explicatur.

8. Quod si revelata notitiam naralem præsupponit & perficit, quomodo fiet hominis conversio & regeneratio? Aliquod sane fundamentum per naturam in homine erit, in quo hominis conversio & regeneratio fundetur exstruatur & nitatur. Quod enim pleniore illuminatione perficitur,

tur, fundamenti loco substerni intelligitur, quod ipsum quam sit Pelaganismo & synersismo affine, nemo non videt.

9. Si notitia naturalis unum verum Deum confuse cognoscit, revelata deinceps perfectionem addit distincte explicando sacrosanctam Dei Trinitatem, nonne in Deo partim mysterium, partim non mysterium ponitur? Nonne Deus ex rebus maximè discrepantibus constare statuitur. Mysterium certe à non mysterio tanto distat intervallo, quanto id, quod tale est, ut naturali intellectui pateat, ab illo, quod ejus est dispositionis, ut non pateat.

10. Quid? nonne tam persona, quam essentia tam personarum distinctio & Trinitas, quam essentiæ summa unitas & simplicitas est myste-

mysterium longe maximum omnem rationis obtutum fugiens.

11. Quod si naturalis, confusa; contra revelata, distincta est notitia habilis quædam conformitas inter utramq; intercedet. Quia lux notitiæ confusæ potentiam habet in sese ad distinctam, distinctaq; exinde deducitur ad confusam notitiam consolidandam.

12. Jam vero in naturali rationis luce, illiusq; lucis notitia potentiam talem esse ad lucem spiritualē & illuminationis scientiam, quis quæso dixerit?

13. Si naturalis notitia tanquam confusa, per succedentem patefactionis notitiam, tanquam distinctam perficitur & consolidatur, utraq; naturali rationis capacitati conformata intelligitur, Ratio est: Quia notitia naturalis con-

confusa in naturali rationis luces secundum ejusdem capacitatem & dispositionem formata consistit: quæ ipsa si citra sui destructionem perficitur & consolidatur per adaptatam revelationis notitiam, hæc eadem à nativa rationis capacitate & dispositione non erit aliena & difformis.

14. Quod ipsum si asseritur, quænam quæso lux spiritualis ex patefactione accendi statuitur? Hîc certe illuminatio spiritualis evacuatur & evertitur. Si lux quædam accedi putetur, congeneris erit naturæ cum luce rationis naturali; nihil ultra.

VII.

DE POTENTIA IN HOMINE AD INFUSOS HABITUS regenerationis præsupposita.

Axiom

I.

AXioma est Philosophorum: Omne recipiens pro conditione receptivitatis suæ, non vitagentis recipit. Scaliger ita Exer. 16. sec. 2. Receptivum non recipit per modum imprimentis, sed per modum receptivitatis. Zaber. de Calore Cœl. cap. 3. Agens non agit nisi in patiente ad recipiendum idoneo: Idem lib. 1. de med. demonst. cap. 7. Agens si agere debeat, aptitudinem ad patiendum in patiente requirit. Item Zab. lib. 2. de mat. prim. cap. 11. Agens non agit, nisi in subjecto bene præparato & idoneo ad recipiendum. Goelen. in prodr. lexici Phil. p. 214. Non quod libet agit in quodlibet, sed quodlibet in suum, id est, sibi conveniens ac determinatũ, nempe quod actionis capax

capax est. Idem pag. 212. Ut recipiat aliquid alterius impressiones, necesse est patientis qualitates, cum agentis qualitatibus esse ejusdem generis, ex 9. Exerc. Scal. Idem Geclen. disquis. Philos. 22. Non omne patiens tantum patitur, quantum agens agit, Ibidem, in patiente ex ineptitudine ortam resistentiam considerat. Resistere (inquit) est quædam impotentia patiendi, id est, facultas per quam res non statim admittit ictum & impressionem efficientis contrarij. Timplerus in Metaphys. p. 572. Receptivum non recipit per modum imprimentis, sed per modum receptivitatis hoc est, capacitatis.

Additur exemplum: Homo non semper tantum capit donorum Spiritualium, quantum DEUS vellet libenter dare, sed quantum capere poteſt

potest ob dispositionem moralem à se contractam sive probam sive vitiosam.

2. Hæc propterea adduco, ut pateat, quomodo ex axiomatibus Philosophicis Philosophica speculatio de hominis regeneratione Spirituali extruatur: Nova regenerationis dona & bona à Spiritu sancto homini concessa, fides, spes, caritas, patientia, &c. habitus vocantur, Spiritus sancti ministerio & operatione infusi. Cum vero nullus sit habitus sine præcunte potentia, qualis qualis ea demum sit, in homine itidem aliqualis potentia adscitur ad operationem Spiritus sancti & inde resultantes habitus recipiendum.

3. Bellarminus lib. 2. de effectu sacra. Cap. 11. dicit, gratiam justificantem educi de potentia obœdientiali, seu capacitate naturali, quam omnino in homine concedendam esse contendit.

4. Non nemo habitibus (quos vocant infusos) in prædicamento qualitatis potentiam quandam passivam in homine substernit, quæ faciat, ut subjectum recipere possit istos habitus infusos: Cum sine

ne ejusmodi potentia, quæ recipere possit, habitus non sequatur.

5. Hîc ni fallor, illustre habemus specimen servitij (de quo hactenus acriter disputatum est) quod ancilla Philosophia Dominæ Theologiæ præstet.

6. Verum id mittamus, & videamus habitus infusos cum sua præeunte potentia.

7. Scriptura homini. 1. adimit Alle tüchtigkeit / geschickligkeit / vehigkeit / krafft vnnd vermügen in Geistlichen sachen / omnem aptudinem, idoneitatem, capacitatem, facultatem & potentiam in spiritualibus, ut homo plane corruptus ad bonum spirituale totaliter emortuus proclametur, nulla superstite minima scintillula, dadurch der Mensch aus ihm selber angebotene quad annehmen / noch derselben für vnd von sich selbß

vehig sein könne / qua homo ex sese oblatam gratiam recipere, ejusdemq; in & ex se capax esse possit, ut Form. Concor. & Corp. Jul. ex immotis scripturæ fundamentis ostendit.

8. 2. Adscribit scriptura homini post ademtam aptitudinem capacitatem, &c. gantz vnnd gar eine Widerwertige vnarth die GOtt stracks wie eine feindschafft zu wider sey / perversã naturã Deo plane & prorsus adversã & contranitentẽ, quæ Deo directò stracks / instar inimicitiæ adversetur, Das also der Mensch von art vnnd Natur gantz böse / vnnd zu allem das Gott mißfellig vnd zu wider ist / allzukrefftig sey / ut Form. Concor. & Corp. Jul. loquitur.

9. 3. Regenerationis opus non adscribitur idoneitati, capacitati, viribus, &c. naturalibus, weder zu gantzen noch zum halben / noch zu einigem / dem gering-

geringsten oder wenigsten theil / ut Form. Conc. nervose loquitur, sondern wird in solidum Das ist gantz vnnd gar allein der Göttlichen wirckung vnd dem heiligen Geiste zugeschrieben/ Spiritus sanctus captivatione, mortificatione, vivificatione utitur, & interius in hominis corde efficaciter operans, conterendo, circumcidendo, molliendo, auferendo, creando, &c. novas vires acceptandi gratiam confert.

10. Hinc Lutherus Tom. 6. Jen. Germ. p. 237. Es ist nicht Menschen ding ein Christen sein / vnd das wort vnnd die Predigt gerne hören / sondern ein Göttlich ding / vnd eitel Himlische gabe vnnd geschenck / Ohn vnd vber ja wieder die Natur / das GOtt allein in vns wircket/ohn alle vnser gedancken vnd zuthun.

11. Hinc patet, quid de asserta receptivitatis potentia sit statuendum. Non parum sane orthodoxia Theologica exinde labefactatur.

12. Si quædam in homine capacitas ad spiritualem gratiam datur, cadit assertio thes. 7.

Si obœdientialis potentia, profligatur inimicitia & inobœdientia thes. 8.

Si aliqualis receptivitas prævertit spiritus sancti operationem, eidemq; promte patet, evanescit adsertio thes. 9.

Sic igitur ad pelagianismũ & synergismum aperta janua est, labefactata Ecclesiarum nostrarum verissima confessione.

13. Valde celebre est nomen potentiæ obœdientialis in metaphysicis, adeo ut non tantùm cujusvis in vita huma-

humana artificis actioni, sed glorioſi Jehovæ operationi miraculoſæ ſubſternatur exſerendæ.

14. Quid hîc dicemus? Eſt obœdientialis potentia affectio entis in Metaphyſica. Ergo cum Deus omnia ex nihilo condere volebat, uti nullum ibi ens erat ante creationis principium, ſic nulla obœdientialis potentia fuit. Ergo ſine obœdientiali potentia prima rerum creatio facta. Aut in nihilo potentiam obœdientialem ſtatues? Ita certe ipſa nihil erit, quod quidem hac in parte verisſime adſeritur.

15. Eadem eſt ratio regenerationis, ubi ſi potentia obœdientialis jactitatur verba dantur, quibus nihil ſubeſt reale. Eſt namq; in homine perverſa ἀδυναμία, quæ omnem tum actum tum potentiam obœdiendi excludit, donec radix de novo implantetur pe-

culiari Spiritus sancti operatione. Rom 1. 5. Cap. 6. 17. 1. Pet. 1. 2. 2. Cor. 10. v. 5. 6.

10. De potentia in qualitatis prædicamento adserta & habitibus infusis præstructa, major subit admiratio.

17. Etenim prædicamenta describunt & continent naturæ ordinem. Ergo dum prædicti habitus cùm proportionata sua potentia ad prædicamentum qualitatis referuntur, in naturæ ordinem, quæ mystici regenerationis actus sunt, rediguntur.

18. Qualis inde æstimabitur regeneratio? Nonne usitato prædicamentali ordine per viam potentiæ, à causa exteriore habitum introducente, in subjecto primò delineari dispositionem, deinde ex dispositione habitū ipsum, secundum modum & capacitatem pas-

passivæ potentiæ in subjecto formari consequitur?

19. Hoc sane fine potentia passiva in homine ad causæ efficientis, hoc est, Spiritus sancti operationem proportionata substernitur, ut & operatio Spiritus, & ex operatione habitus infusus commode recipiatur.

20. Qualis hîc operatio spiritus potentiæ qualitativæ commensurata, qualis inde ortus fidei, spei, caritatis, &c. habitus fuerit, docti facile vident, quando ex prædicamentali ordine rem omnem exactius æstimant.

21. Certe quicquid in regeneratione verè mysticum & ab usitato naturæ ordine alienum fuerit, hîc labefactatur prædicamentalis doctrinæ censurâ.

22. Adserta qualitatis potentia passiva facit ut subjectum recipere possit Spiritus sancti operationem & ex operatione sequentem habitum.

Ergo

1. Proportionatam quandam commensurationem & habilem quasi applicationem patientis ad agens praestat:

2. Qua posita excluditur à subjecto patiente contraria privationis ἀδυναμία & aversio, qua reluctetur causæ exteriori agenti.

3. Qua exclusa, congeneris erit naturæ adserta potentia cum spiritus sancti operatione habituq; subsequente.

Tale hîc adseritur medium receptivum pro sua capacitate motum agentis recipiens & formam habitus in subjectum introducendi acceptans.

22. Quid

23. Quid contra scriptura? Jam ante vidimus, quod homini carnali nondum regenerato, non tantum adimat omnem ad conversionis bona & dona spiritualia habilitatem, idoneitatem, potentiam, capacitatem, sed contra etiam aversionem, repugnantiam, inimicitiam, reluctantiam (non quietam receptivitatis potentiam spiritus sancti operationi commensuratam & promte patentem) adscribat.

24. Verisime Chemnitius, Si quæritur (inquit) quid liberum arbitrium hominis ex viribus naturalibus in conversione agat & operetur, recte respondetur: quod se habeat non tantum ut subjectum patiens, sed repugnet, rebellet, sit inimicitia adversus gratiam Dei. In conversione vero vetus Adam mortificatur & corpus peccati καταργεῖται Rom. 6. v. 6. & 2. Cor. 4. v. 16.

Exterior homo διαφθείρεται & interior renovatur de die in diem : In Judic. Controv. p. 67. Conf. Rung. disput. in 2. Corinth. p. 764. & 765.

25. Fit regeneratio per mortificationis & vivificationis actum.

26. Mortificatur homo vetus cum suis pravis intentionibus & concupiscentijs, à quibus quæritur, an adserta potentia passiva ante regenerationis momentum sit immunis & libera? ut citra mortificationem habili & prædicamentaliter commensurata idoneitatis & capacitatis proportione statim pateat operationi Spiritus sancti, qua putatur habitum fidei, spei, caritatis, &c. infundere.

27. Vivificatio succedit, qua refringuntur & denuo creantur subjecta donorum Dei, (ut loquebatur D. Hoffmannus) ipsaq; dona, fidei, spei, caritatis

tatis &c. nova immissa luce spirituali, gratiæ salvatricis beneficio à Spiritu sancto conferuntur. Nulla hîc spiritualium donorum capacitas, idoneitas, potentia peculiaris prævertit.

28. Poterat hîc quæri, quomodo Spiritus sancti operatione fidei, spei, caritatis, &c. habitus in potentia, passiva, quæ Spiritus sancti operationi prædicamentali ordine & commensuratione substernitur, efformentur? An ex potentia educantur? an in eandem extrinsecus quasi formata infundantur.

29. Poterat hîc quæri qualis respectu potentiæ adlertæ fuerit fidei, spei, caritatis &c. habitus? quantum ab habituali gratia infusa pontificiorum distet? qualis item effectus & operatio subsequatur? qualis totius talis Christianismi vita fuerit?

30. Sed

30. Sed nolumus immorari, in disputationis cursu data occasione attingemus & explicabimus. Coronidis loco monemus, ut à pernicioſa Philoſophiæ & Theologiæ commixtione abſtineatur.

VIII.

DE PHILOSOPHIAE USU IN THEOLOGIA.

I.

QUæritur; an Philoſophia ſit Theologiæ ancilla? In hujus quæſtionis reſolutione, ut ambiguitatem vocis Theologiæ præcidamus, ex proprio ſuo officio Theologiam determinamus; quod quale ſit inde patet.

2. Revelata nobis eſt S S. Theologia ut veri Dei Trinuni Creatoris & Salvatoris

toris in nova luce ſpirituali conſiſtentem notitiam & fiducialem apprehenſionem, ad ſalutem conſequendum, in homine operetur.

3. Hîc Philoſophiæ opera nihil omnino valet, nihil poteſt: totum hoc quantumcunq; eſt, quod longe maximum eſt, ſola ſibi arrogat S S. Theologia.

4. Poteſt quidem Theologus multiplici liberalium artium doctrina excultus & humanæ inſtitutionis præceptis inſtructus, varieq; exercitatus & confirmatus, doctrinæ patefactæ capita argute retexere, artificioſe tractare & explicare, & vel perſpicuitatem vel obſcuritatem doctrinæ pro lubitu ſectari: at hominis convertendi illuminatio & regeneratio exinde non dependet; ad eam humanæ ſapientiæ opera & induſtria accuratiſſima nihil confert.

5. Oſten-

5. Ostendit hoc ipsum Paulus luculentissime 1. Cor. 3. v. 5. 6. 7. Quid est Paulus? quid Apollo? ministri, per quos credidistis, & unicuiq; sicut Dominus dedit. Ego plantavi, Apollo rigavit: Sed Deus dedit incrementum. Itaq; neq; qui plantat est aliquid, neq; qui rigat, sed qui incrementum dat Deus.

6. Hîc Apollo quantumvis vir λόγιος & in scripturis potens celebretur Act. 18. & ipse Paulus multiplici doctrina excultissimus & egregia eloquentia præditus Act. 26. v. 24. in conversionis illuminationisq; opere nihil esse dicuntur.

7. Quod vero συνεργοί & ministri appellantur, per quos credimus, non fit inde, quod naturalium donorum, huma-

humanæq; ſapientiæ opera & efficacia quicquam converſionis & illuminationis præſtent, ſed quod miniſteriũ Spiritus commisſum exerceant, ubi in prædicatione verbi & admintſtratione Sacramentorum Deus ipſe efficaciter operatur. 2. Cor. 3. v. 3. Cap. 10. v. 4. cap. 5. v. 17. 18. 19. 20. Rom. 1. v. 16. Act. 16. v. 14. Rom. 10. 14. Col. 2. v. 12. Gal. 3. v. 2. Tit. 3. v. 5. 6. Epheſ. 5. v. 26. &c.

8. In proprio ergo illuminationis officio Theologiæ ancilla nequaquam fuerit Philoſophia.

9. Quid ergo? Nonne in literali inquiſitione aliquam navat operam? Videamus & diſtincte explicemus.

10 Continet Philoſophia artes tum inſtrumentales, quæ modum tractandi:

di: tum reales, quæ res ipsas tractandas proponunt. Jam quid instrumentales, quid reales in literali inquisitione præstent, inquirendum.

11. Ex instrumentalibus Logica suam navat operam in analysi & genesi.

12. Analysis ita procedit, ut totum scripti alicujus methodum vestiget, distinctas partes constituat, partium cohærentiam & universam tractationem observet; quid exquo concludatur & deducatur notet, quæstionem duam excerpat: argumentum probatorium comparet, totum syllogismum ex sua fundamento examinet, crypsin inversionis redundantiæ defectus distinguat & redintegret, totum disputationis scopum accurate intueatur: enunciationū subjecta & prædicata eruat & distinguat,

guat, descriptiones subjectis & prædicatis additas æstimet, vinculi nexum inquirat.

13. Eadem ergo ratione, si Logica analysis usurpari debeat, patefacta doctrina in sacris literis consignata, retexenda fuerit: aliud enim artificium analyticum logica non habet.

14. Ergo in literali patefactionis inquisitione logica analysis ostendet, quod sit enunciationum subjectum, quod prædicatum, quæ copula: quænam deductio syllogistica, quæ collocatio methodica, &c.

15. Si jam in hac inquisitione analytica, dijudicatio rerum in patefactione propositarum usitato more misceatur, quam quæso ancillationis operam hîc præstabit Logica?

16. Exemplum affero: dicit patefactionis doctrina:

Deus verus est Trinus & Unus.

Deus est homo factus.

Hic literalis inquisitio logica directione per analysin facta, enunciationem distinguit & retexit in suas partes, subjectum & prædicatum ; connexionis vinculum eruit. At cum ad veritatis censuram accedit dijudicatio logica sua sequens principia, nunquid veritatem mysticis enunciationibus comprehensam assequetur ? approbabit? acceptabit ? Nequaquam. Id namq; si fiat captivatione & illuminatione spirituali non foret opus.

17. Statuimus ergo in literali inquisitione quanquam logicæ analyseos ductu subjectum à prædicato distinguatur, copula æstimetur; non tamen ad rerum propositionibus mysticis comprehensarum veritatem, ejusq; præsentem intrutionẽ & approba-

tio-

tionem perveniri & penetrari. Quin imo quando inquisitio literalis in dijudicationem desinit usitato more, quod analytica inquisitio producit & monstrat, id logica dijudicatio repudiat & abjicit. Hîc Logica non est subjecta & obœdiens ancilla, sed hostiliter repugnans inimica.

18. Hîc ergo captivatione opus est, quâ si Logica cum ratione in obsequium fidei pertrahatur, ut enunciationes mysticas sequestrari & extra suum censum seponi patiatur, facit sane, quod ancillam decet: sin libere discurrens ea sdem sibi velit arrogare, suæq; subijcere censuræ, & usitatis suis normis conformare, per contortas analogias & reductiones, jam non ancilla manet, sed Dominæ jus suum eripit dominatrix, ut veritas mystica evertatur.

19. Hinc patet, quousq; sese

logiæ usus in dogmatica Theologiæ tractatione extendat: analyticè retexi enunciatio, syllogismus, methodus potest: à dijudicatione vero rerum mysticarum ita planè abstinendum est, ut nil quicquam ex principijs & normis logicis (imo ex universa humana sapientia) præsumatur, ad quod veritas mystica exigatur, sed verum & unicum ejusdem fundamentum semper respiciatur.

20. Logica veritatem propositionis æstimat ex locis inventionis, ubi certæ normæ & regulæ ex essendi modis metaphysicis extructæ proponuntur. Ad illud fundamentum Theologus non respicit: Unicum inventionis locum pro veritatis censura habet, OS DOMINI, αὐτοῦ ἔφα.

21. Hîc hæreat, hîc habitet, hic videat sanus Theologus, quid de quo dicatur,

tur, quomodo quod in subjecto, quod in prædicato enunciationis ponitur, notificetur & determinetur ex adjectis descriptionibus & declarationibus: quid ex quo deductum & conclusum sit, quodnam ex se iterum aliud gignat deducendum & concludendum: antecedentia cum consequentibus, extrema cum medijs & cum ultimis prima comparet, sed citra (ut dixi) peregrinas præsumtiones. Hic sane egregius logicæ usus apparebit. Illustre specimen invenient adolescentes in commentatione D. Pfaffradij de propositio. Sacramenta:

22. Sic ex patefactione axiomata, syllogismi, methodus in locorum Theologicorum σωματοποιήσει, aliarūq; commentationum, concionum, disputationum, &c. exercitijs dogmati-

cis logica geneſi exſtruetur: Ubi iterum inſignis Logicæ uſus conſpicitur.

23. Hoc vero notandum, ſanum Theologum in Theologicis commentarijs myſticas ſuas prædicationes ab uſitatis logicarum enunciationum generibus diſcrepantes accurate explicare & diſſimulitudinem oſtendere, quam logica non capit, non admittit ex ſuis principijs. Vide prædictum lib. D. Pfaff.

24. Succedit Grammatica & Rhetorica, quæ tam in analyſi, quam in geneſi ſuam navant operam. Nam Grammatica in ſermonis Etymologia & Syntaxi æſtimanda, Rhetorica in ornatu utcunq; exponendo utiliter adhibetur, & tam geneſin, quam analyſin moderatur & dirigit.

25. In analyſi Grammatica nervus & cohærentia vocum perpenditur ad ſen-

sensum & emphasin eliciendum. Exempla passim occurrunt in Locis Theologicis D. Chemnitij, qui sæpissime utilissimas observationes Grammaticas interserit. Conf. Exercit. Heiz. Busch. p. 202. Ubi analysin grammaticam adhibet ad explicationem genuinam dicti, Act. 3. v. 21. à Piscatore depravati.

26. In analysi rhetorica tropi & figuræ passim æstimantur, præsertim in parabolis allegoricis, ubi jucunda est enucleatio erudita & fidei analoga: quod doctorum Pastorum conciones comprobant.

27. Magna hic opus est cautione. 1. Ne tropus pro lubitu effingatur, ubi nullus est, quod Pisca-

tori accidit in quæstionibus rhetoricis de verbis cænæ, cui recte occurrit D. Pfaff. in synopsi disput. de Methodo Calviniſmi, & fucum luculenter detegit.

28. 2. Ne tropus negetur, ubi adhibitus deprenditur, quod Goclenius temere attentavit contra Heizonē Buſcherum, ſed Georg. Buſch. in ſynopſi controverſ. p. 39. profligavit.

29. Geneſis ſuccedit, Ubi Grammaticæ & Rhetoricæ miniſterio res Theologicas in concione, diſputatione, commentatione quavis, tum puro tum ornato ſermone explicamus, ita tamen ut à forma ſanorum verborum non diſcedamus, neq; pompoſam eloquentam mundanam conſectemur.

30. De Philoſophia reali videamus itidē. Non ſame negamus, ubi in libris biblicis de arca Nohæ, de templo & domo

domo Salomonis, de bellicis expeditionibus, hostibus devictis & occisis, de Sole Luna Stellis Iride: de aulica consuetudine, ordinatione, tyrannide, adulatione, &c. de œconomicis operis disseritur, insignem Philosophiæ usum hîc esse.

31. Sed cum sublimia mysteria & miracula ad usitatum naturæ ordinem non consistentia, neq; naturali rerum humanarum in artibus realibus descriptarum constitutioni & dispositioni conformia examinantur, Philosophia separanda & captivanda, neq; ad maximè singularem veritatem ex naturæ principijs æstimandam admittenda est.

32. Ergo Virginem parere Dei filium, effeaum est Theologicum. Esa. 7. Gal. 4. Quousq; hîc vel Physica vel Metaphysica adsurget censura? num

veritatem mysterij ex suis principiis assequetur? Nuncquid & Theologicè & Philosophicè verum effatum demonstrabitur? Ita quidam docent sine rubore; valde ἀθεολόγως, non sine mysterij eversione & jactura veritatis.

33. Verum enimvero propius accedamus. Naturæ principia in Philosophia reali proposita, vel contra adsertiones Theologicas conducuntur, vel pro earundem demonstratione adhibentur.

34. Contra; ut faciunt Calviniani, qui doctrinam de persona Christi, ac præsentia in Cæna oppugnant axiomatibus physicis & metaphysicis.

Finitum non est capax infiniti. Unum corpus non potest esse in diversis & multis locis.

Visi-

Visibile corpus ubi est, ibi videtur &c.

35. Sic Papistæ contra locum justificationis urgent principia ethica de habitibus & præeunte aliquali potentia, ad habitualem gratiam justificationis adserendam.

36. Sic Photiniani ex Ethica Iustitiæ definitione oppugnant justificationem ex unico Christi pro nobis à Patre traditi merito. Qui enim ex Ethicæ præscripto justus censetur, non potest insontē pro reo plectere. Quia justitia suum cuiq; tribuit. Quomodo ergo Deus Pater Filium pro nobis tradere potuit.

37. Jam si ita adhibeatur Philosophia in dogmatibus Theologicis tractandis, egregium scilicet usum præstiterit, in patefactæ veritatis divinæ corruptione & eversione!

38. Unde

38. Unde miror, quid in mentem venerit Philosopho, qui sanos & circumspectos Theologos ἀκριβείᾳ Philosophiæ contaminari, Theologiam asserentes, pro logodædalis depravatoribus & osoribus accuratioris Philosophiæ habet, & alto supercilio despicit. Hoc sibi (inquit) persuasum habeant logodædali depravatores & osores accuratioris Philosophiæ, ἀκριβείᾳ philosophiæ contamninari Theologiã subinde clamitantes, nulla remagis depravari veritatem, quam insciti veræ & solidæ philosophiæ, cujus ipsi nullum habent gustum.

39. Parcius ista viris tamen objicienda memento. Certè Philosophica doctrina vel capivatione superma sub fidei jugum missa, vel extra captivationẽ adhuc libera est.

40. Si captivata, judicij ex axiomatibus

tibus Philosophicis deducti ἀκρίβεια incisa est, ne quicquam exinde contra fidei doctrinam statuatur: & hactenus contaminatio Theologiæ non est metuenda. Sed ex se ipsa Philosophia id præstare non potest.

41. Si vero libera est extra captivationem, de quibusvis rebus oblatis ἀκριβῶς judicat, neq; potest cohibere & inflectere censuram. In hac ergo judicij ex regulis Philosophicis deducti ἀκρίβεια vel acceptatur vel repudiatur mystica mysteriorum veritas.

Non prius, ut alibi probatum.

Ergo posterius.

42. Progrediamur & inquiramus, an ad demonstrationem & probationem dogmatum Theologicorum Philosophia adhiberi utiliter possit?

43. Id passim asseritur: quandoquidem dogmatum Theologicorū articu-

ticuli quidam puræ fidei, quidam mixtæ rationis statuuntur.

44. Hinc Aristotelicus Philosophus probabilibus rationibus evinci posse putat, mundum esse creatum atq; ita ex nihilo productum: quodq; probabiliter asserit vera & germana Philosophia, id verâ Theologiâ confirmari, cujus confirmationi vera Philosophia, ut obsequens ancilla acquiescat.

Item, ex physicis principiis quodam modo erui posse resurrectionem mortuorum: quodq; ex probabilibus ejusmodi argumentis colligitur & extruitur, deinceps fundamenti Theologicis corroborari & confirmari, ut genuinâ Philosophiâ nequaquam contaminetur Theologia. Hæc cujusdam Philosophi assertio est.

45. Hîc exactius quædam sunt perpendenda; 1. An ex Philosophia contami-

taminetur Theologia? Id antea explicatum th. 40. 44.

46. 2. Quod Philosophia, obsequens jactitatur ancilla, id itidē examinandū.

47. Nuncquid enim ante & extra captivationem in regeneratione præstandam, ita obsequiosè Theologiæ proprio motu ancillari statuitur Philosophia, ut non tantum dogmatis Theologici qualemcunq; probationem ex suis principiis domesticis eruat & exstruat? sed quod inde erutum & exstructum est, ad Theologiæ subsellia reverenter deponat, firmioris plerophoriæ augmento superaddito confirmandum & corroborandum, ut recipiat & approbet confirmatum & roboratum? Magnæ istæ sunt nugæ, quibus Ecclesiarum nostrarum confessiones ex certissimo & immoto verbi divini fundamento exstructæ non parum labefactantur, ut in cursu disputationis ostendemus.

48. Quod

48. Quod si post captivationem regenerationis beneficio factam obsequentis ancillæ munia Philosophia præstare dicitur, id quidem sanè acceptatur, sed tum Philosophia non sua sponte, sed captivata à censura dogmatum Theologicorum sejungitur, intra suam concluſa ambitum & circulum proprium, neq; aliena & peregrina principia in Theologiam inferre & admiscere permittitur stultificata, Esa. 8. 20. 1. Cor. 1. 19. Prov. 30. v. 2, 3. 6. Luc. 16. 29.

49. Quod si in consortium dogmatis Theologici prælibandi & probandi Philosophia non admittatur; quid quæso Theologiæ porriget confirmandū, ut recipiat confirmatum?

50. Sic evanesceret ancillandi jactata ratio; quin imo patum aberit, quin in dominium & tyrannidem desinat.

51. Per-

51. Perpendantur verba th. 44. allegata ubi tria obſervo.

1. Philoſophia & Theologia ita conjunguntur in dogmatis Theologici adſertione, ut mutuis junctisq; operis in eâdem elaborent, Philoſophia quidem ſyllogiſmi concluſione, Theologia vero ſcripturæ teſtificatione.

2. Philoſophia ex ſuis principijs antequam Theologia conſulatur, aliquid dogmatis Theologici extruere poteſt, quod Theologiæ porrigat confirmandum.

3. Theologia acceptare & approbere debet, quod porrigit Philoſophia ex ſuis principijs exſtructum.

Niſi enim id fiat, non acquieſceret Philoſophia (quippe quæ ſua principia ex ſe non poteſt deſerere.)

At hîc dicitur acquieſcere.

Ergo idipſum quod jam ante ex

suis principiis exstruxit Philosophica, in Theologia approbari & confirmari debet. Nonne hîc proditur ancillæ dominium?

51. 3. De Philosophica dogmatum Theologicorum probatione ulterius disquirendum.

53. In Philosophia prohibetur μετάβασις εἰς ἄλλο γένος: potiori jure prohibenda fuerit principiorum ex Philosophia in Theologiam translatio Conf. Mentz. Apol. Antipist. p. 95.

54. Quod si ex principiis Philosophicis aliquid extrui in fidei articulo statuatur, quod deinceps ex fundamentis Theologicis confirmetur & roboretur,

Nonne ad ædificii super fundamento prophetarum & Apostolorum erigendi structuram, primũ poni lapidẽ humanarum virium industriâ vides?

Nonne

Nonne quod ex principio Philosophico deductum, & in Theologia confirmatum acceptatur in eadem mentis luce statuis?

Nonne divinam & humanam sapientiam congeneris esse naturæ subinnuis?

Nonne positum probabilis veritatis momentum principiis naturæ conforme rationiq; naturaliter notum, mysteriis infers? Quid hinc tandem efficietur?

55. O Mirabilem mixturam, veritati Theologicæ infensam quam ut Spiritus sanctus ignorat & conculcat, 1. Cor. 1. v. 19. 20. 21. Cap. 2. v. 1. 4. 5. &c. Sic orthodoxus Theologus fastidit & repudiat.

56. Gravissime Lutherus inquit; Es heist Artickel des Glaubens/nicht deiner vernunfft noch Weißheit/noch Menschen

krafft vnd vermügen Tomo 6. Jen. Germ. p. 228. Item/Wir Predigen solche Artickel/die nicht auff Menschen vernunfft vnd verstand/ sondern auff der schrifft stehen/ Darumb soll man sie auch nirgend suchen/nach Ortern/ den in vnd aus der schrifft/dicto Tom. p. 233. Item/Paulus thuts darumb/ das er auff der andern seiten auch warne/ das man in diesem vnnd andern Artickeln nicht die vernunfft soll zu Rathe nehmen/ noch hören/ was die Welt mit jhrer Weißheit davon klügelt vnd scharff speculieren wil dicto Tom. p. 231. Item/Siehe/Also wil vns der Apostel anfenglich füren von allem disputiren vnd meistern der vernunfft/allein auff das Wort/ so er von Christo empfangen vnd jhnen geprediget hatte/ vnnd damit vns zeigen/ wie wir in allen Artickeln des glaubens fahren vnd thun sollen. Davon ich allzeit sage/ Das der glaube schlecht nichts den das Wort für sich haben sol/vnnd nur kein klüglen noch gedancken leiden/ sonst ist nicht müglich

das

das er bleibe vnd erhalten werde / etc. dicto Tom. p. 228.

Item. Es soll heissen vnd ist beschlossen / mir (Christo Jesu) ist alles vbergeben / Ich bin der man / der alleine Lehren vnd regieren sol / trotz allen klugen vnd Weisen / die sollen jhre Augen blenden lassen / vnnd jhre vernunfft zuthun. Den vnser Weißheit vnd klugheit in Göttlichen sachen / ist das Auge / so der Teuffel im Paradiß vns auffgethan / &c. Tom. 8. Jen. Germ. p. 338.

67. Magnus Menzerus in Apologia Antipistor. disput. passim repudiat probationes extra divinam revelationem excogitatas. Vid. pag. 73. 78. 79. 82. &c. Gloriatus fuerat Pistorius, quod extra & præter scripturam plures haberet probationes & media pro articulorum fidei adsertione: Mentzerus contra inquit, istam orationem Christiano esse indignam p. 85. Item, Funda-

mentum veritatis Theologicæ quoad nos, esse sacram scripturam ex qua sola, nec aliunde veritas divina cognosci & addisci possit, p. 88. Item Omnes & singulos articulos fidei Christianæ totos ex una sacra scriptura sic probari, ut non possint ex re alia p. 80.

58. Quis ergo partim ex principijs Philosophicis, partim ex fundamentis Theologicis dogma fidei probare, & exstruere tentet? Qui nova luce per regenerationem donatus est nonne σοφίαν λόγου sapientiã in rationis luce consistenten, captivatam & infatuatam segregat extra fidei articulorum ambitum? Qui vero extra regenerationem in tenebris adhuc ambulat, numquid naturali rationis luce & speculationib9 philosophicis eò usq; potest adsurgere, ut aliquid de articulo fidei ejusdemq; veritate, conceptu suo apprehendat & adsequatur? 59. Ans.

59. Anshelmus in prima statim liminem sui operis p. 2. In libro; Cur Deus homo; inquit: Sicut rectus ordo exigit ut profunda Christianæ, fidei credamus prius, quam ea præsumanus rationibus discutere: ita negligentio mihi videtur, si postquam confirmati sumus in fide, non studemus, quod credimus, intelligere, &c. Sic quidem Anshelmus pro temporis sui perversa consuetudine.

60. Nos vero scimus si nova fidei luce per regenerationem homo donatus fuerit, unicam esse curã, ut in fide quæ non nisi verbum Dei pro objecto habet, persistat 1. Cor. 15. v. 1. 2. 1. Tim. 4. 16. 2. Tim. 1. v. 13. 14. cap. 3. v. 14. 15. Rom. 6. v. 17 2. Pet. 1. v. 19. Esa. 8. v. 20. Ubi hîc manet sapientia humana? Captivatur, infatuatur, sejungitur sunt suis principiis, Conf. thes. 48.

61. Non ineptè illud Paulinum hîc urgeatur: Sic ſtulti eſtis, ut cum ſpiritu ceperitis, nunc carne conſummetis? Gal. 3. v. 3. Qui in nova Spiritus luce articulorum fidei veritatem contempletur & miretur, numquid retrocedere & deficere ad rationis lucem, capacitatem, principia debeat?

62. Verum eſt, carnem Spiritui inſidias ſtruere, Denn ſiehe was die Schwermgeiſter thun. Das wort vnd den glauben haben ſie angenomen / So kompt die klugheit hergelauffen / die noch nicht iſt ausgefeget / vnnd wil klug ſein in den Geiſtlichen ſachen / wil ſchrifft vñ glauben Meiſtern / vñ macht Ketzerey / ut Luth. Tom. 8. Ien. Germ. p. 312.

63. Alſo iſt allen Ketzern geſchehen in dem hohen Artickel von Chriſto / wie auch noch vnſern Rotten vber der Tauff vnnd Sacrament geſchicht. Weil ſie nicht bloß dem Wort gleuben / ſondern mit der vernunfft

nunfft Speculieren vnd nachdencken/ Den Brod ist Brod / Wasser ist Wasser / wie kan das Brod Christus Leib / vnd das Wasser ein Bad der Seelen sein? Den sie kan vnd wil nicht im Wort bleiben / noch sich darein gefangen geben/sondern jhre klugheit mit lassen gehen / vnd selbst verstehen vnd meistern / etc. Vnd weil sie siehet / das so gar wider jhren verstand vnnd alle sinne vnd fühlen ist / vnnd wider erfahrung dazu / so fellet sie davon vnd leugnet gar / oder wenn sie nicht für vber kan / drehet vnd fidert Gottes Wort mit glossen/ Das sichs doch muß auff jhren verstand reimen vnd der Glaube nicht raum habe / sondern der vernunfft weichen vnd vntergehen müsse/ Luth. Tom. 6. Jen. Germ. p. 228.

64. Hinc videmus quam facilis sit lapsus & declinatio à verbi veritate, si humanam miscere sapientiam velimus, Solch Wort das vom Himmel kompt/ nicht wollen glauben noch daran hangen/son

dern mit eigenem Kopff wollen messen nach dem Hauswirt / vnd Regiment auff Erden / das ist / nach dem wesen vnd Regiment das wir erfahren haben (Secundum principia philosophica, secundum naturalem rerum naturalium constitutionem & dispositionem rationi notam) **Damit ist schon alles verkeret / vnnd eitel lügen an stadt der Warheit gesetzt.** Luth. Tom. 6. Jen. Germ. p. 68.

65. Magno ergo, hic opus est cautione, ut in verbi veritate permaneamus, neq; Philosopicis speculationibus ab eadem avertamur, **Die vernunfft ist vnnd sol in der Tauffe ersewfft sein / vnd sol jhr die narrete Weißheit nicht schaden / Allein so sie den Sohn Gottes höret / etc. trette die vernunfft mit jhrer Weißheit mit Füssen** / &c. Luth. Tom. 8. Jen. Germ. p. 313.

Vnnd hülfft nicht / das du sagest / Bin

ich

ich doch ein Christ / ratio est illuminata, siehe dich für / für dich selbst / die Sünde ist noch nicht rein außgefeget / vnnd geheilet / &c. Ibid. p. 312.

66. Quod si quis plane extra verbi patefactionem speculationibus philosophicis aliquid in religionis negocio ex principaliis naturalibus exstruat & commentetur, quod cum hoc vel illo fidei dogmate aliquā videatur habere affinitatem, nonne idipsum ad Theologiæ subsellia possit deponi confirmandum & corroborandum?

67. Resp. Quod ratio ex principiis sibi notis in religionis negotio philosophicis speculationibus exstruit, ut secundum naturalem lucem, lucisq; capacitatem concipitur, ita unitatæ rerum humanarum dispositioni

sitioni & constitutioni, intellectuali conceptu conformatum intelligitur. Num vero id ipsum fidei articulis in verbo patefactis adeo affine & conforme æstimatur, ut in S S. Theologia placida consensione acceptetur? approbetur? confirmetur: Vid. th. 64. 68. Philosophica sanè speculatio quicquid statuit, ratiocinationis viâ statuit, ex principiis naturaliter notis, secundum naturalem rationis capacitatem judicando. Jam si id quod speculatio hoc modo adsequitur, in Theologia acceptatum confirmatur, ratiocinatio in humanæ sapientiæ principiis naturaliter notis fundata hîc non evacuatur, sed consolidatur: judicium philosophicum pro capacitate rationis nativa formatum, hîc non enervatur captivatum, sed in vigore suo provehitur stabilitum.

69. Ergo

69. Ergo ex humanæ ſapientiæ principiis naturaliter notis, ratiocinando & judicando ſecundum nativam ſuam capacitatem, ratio in verbo patefacto ſuo verſatur jure, atq; hoc modo dogmatis fidei plenam adſertionem conſequendo, ad plerophoriam adſpirat.

70. Contra Pauli Theologiam hoc impingit, ut ſuo loco oſtenſum eſt: hîc tantum addimus luculentum teſtimonium Lutheri, qui non ratiocinationis & judicij naturalis viam, ſed captivationis modum urget. Tom. 6. Jen. Germ. p. 68. Wer da gleubt der vrtheilet nicht / ſondern laſſet ſich vrtheilen / vnnd giebt ſich gefangen in eines andern vrtheil. Item p. 249. was were er für ein Gott / der von vns ſich laſſen lehren vnd vnſer Weißheit nach richten vnd wircken ſolt? Nun aber machet ers alſo das ſeine Weißheit höher bleibe den vnſere / vnnd wir

wir vns darin müssen gefangen geben/ vnd vnser klügeln lassen/ etc.

71. Notum est quod confirmationis principium, cum conclusione confirmanda congeneris esse naturæ debeat, Conf. Mentz. Apol. Antipis. p. 95.

72. Ergo quando conclusio ex principio Philosophico naturaliter noto rationis luce lucisq; capacitate deducta ad Theologiã transfertur, ut verbum Dei pro ulteriore confirmatione præsuppositæ conclusioni accommodetur, congeneris naturæ sacrosanctum Jehovæ verbum cum humanæ sapientiæ conclusione adferetur. Quid hinc sequatur, docti palam vident.

73. Hinc procul dubio D. Lutherus inquit, Wenn einem sein eigen dünckel hertzlich gefelt/ vnnd bringet den die schönen gedancken in die schrifft/ das ist der Teuffel gantz

gantz vnd gar. Diese Sünde ist vergeben/ Aber wenn sie in der natur so noch nicht gar gereiniget ist / herschet/ da verleuret man bald die rechte lehre / etc. Tom. 8. Jen. Germ. p. 213. Item dz thun gewißlich alle Rotten/ dz sie erstlich kommen getrolt mit jren eigen gedancken/ auß der vernunfft gedrehet/ vnd Ob sie wol schrifft für sich nehmen / so haben sie doch erst jhre eigen gedancken geschöpfft vnnd hinein getragen vnnd gebrewet/ das sie (die schrifft) darauff mus reimen / vnnd darnach muß deuten vnnd dehnen lassen / Tom. 6. Jen. Germ. p. 232. &c. Confer. thes. 63.

74. Hinc patet quam periculosa sit Philosopiæ & Theologiæ permixtio. Rectius ergo fecerimus, si Dialectica seu Philosophia in suâ sphæra relictis, discamus loqui novis linguis in regno fidei extra omnem sphæram.

sphæram. Alioqui futurum est, ut vinum novum in utres veteres mittamus, & utrumq; perdamus, ut Sorbona fecit. Affectus fidei exercendus est in articulis fidei, non intellectus Philosophiæ, tum vere scietur; quid fit, Verbum Caro factum est, ut nervosissime D. Luther. Tom. 1. Ien. Lat. pa. 568.

75. 4. Poterant hîc adhibita speciali inductione excuti & retexi omnes fidei articuli, qui Methaphysicis, Physicis & aliis Philosophicis principiis probari putantur posse: Verum id ratio instituti non jam permittit & partim alibi id factum, partim suo tempore & loco fiet ξὺν θεῷ.

76. Id tantum hoc in loco ob creationis & resuscitationis mentionem factam addimus, esse operum Dei mysti-

mysticam constitutionem & peculiarem ad Jehovam autorem dispositionem inde æstimandam, quòd Pater per Filiũ, in Spiritu Sancto, Filius cũ patre ὁμοίως, quod videbat Patrem operam, non à semetipso, sed à Patre volens, ut & Pater, nec non cum utroq; Spiritus sanctus eadem ratione & ab utroq; operetur idem Joh. 5. v. 19. 21. Cap. 16. v. 13. Psal. 33. 6. Iob. 26. v. 13. Cap. 37. v. 4. Psal. 104. v. 130. Heb. 1. v. 3. 1. Cor. 8. v. 6.

77. Qui ergo veram Jehovæ operationem introspicit, is inde videt patrem esse in Filio, & Filium esse in Patre, & in utroq; Spiritum sanctum & in Spiritu sancto utrumq;, Ioh. 5. v. 30. 36. Cap. 10. v. 38. Cap. 14. v. 10. 11. 12. Cap. 15. v. 26.

78. Quis jam dicet eam Jehovæ Tri-

nunius operationē sub creationis & resuscitationis conceptu Philosophico, si quis extrui ex principijs naturæ possit, naturali rationis luce comprehendi? Nullo certe motus per naturam perceptibilis genere vera Jehovæ operatio continetur: Hinc fide Creditur Creatio Heb. 11. Vnd Gott wirds freylich (in resuscitatione mortuorum) am Jüngsten Tage nicht machen / das du es jetzt begreiffen mögest / Luth. Tom. 6. Jen. Germ. p. 286.

COROLLARIA.

Quid statuendum sit.

1. De distinctione, qua quidam articuli puræ fidei, quidam mixtæ rationis dicuntur:
2. De Syllogismo Casmanni, quem habet in Assert. Phil. Christ. p. 280.

Quo

Quo captivatur ratio nostra in obsequium fidei, id à doctrina fidei tractanda non est excludendum.

At Logicâ Christianâ carnalis & cæca ratio captivatur (mediante Spiritus Dei actione,)

Ergo Logica à doctrina fidei tractanda non est excludenda:

In disputationis cursu explicabimus.

APPENDIX.

LUBET APPONERE THEOLOGICAM DISPUTATIONEM SUB PRÆSIDIO Reverendi præclarissimi & doctissimi Viri Caspari Pfaffradij S S. Theologiæ D. & Professoris, in Julia habitam Anno 1603.

Continuatio.

THeologiam definitam vidimus: de rebus Theologicis dogmaticè, tractandis generalia quædam monenda sunt, priusquam ad res ipsas deveniatur.

1. Theologiam in sacris scripturis contineri ut adseruimus; ita etiam sacræ scripturæ rerumq; in scripturis contentarum tractationem dogmaticam, Theologiæ tractationem esse adfirmamus.

2. Tra-

3. Tractatio hæc dogmatica ut rectè instituatur, is qui tractationem suscipit, ante omnia cogitabit, res in Theologia contineri sanctas, quæ accurate sint à profanis discernendæ Levit. 10. v. 10. Ezech. 22. v. 26.

3. Patefactio in sacris scripturis comprehensa multa tradit mysterta. 1. Cor. 4. v. 1.

4. Mysteria vero hæc ejus sunt dispositionis, ut ad naturalẽ naturæ universæ creatę constitutionẽ rerumq; naturaliũ διάθεσιν non quadrent, nec capacitatis humanæ naturaliter intelligentis judicantisq; mensuris congruant Esa. 55. v. 6. 7. 8. 9. Prov. 30. v. 1. 2. 3. 4.

5. Capacitatis hujus mensuras dicimus eas simplicium terminorũ, quos vocant, affectiones, modos rerum essendi referentes, quibus in doctrina nuentionis argumentorum genera, ex

quibus propositiones fiunt, & distinguuntur & definiuntut.

6. Mysteria igitur sapientia hominum & intellectus nostri rationibus, quibus secundum lucem naturalem judicat, capi nequeunt. 1. Cor. 2. v. 5. 6. 8. 9. 11.

7. Spirituali vero sapientia accipiuntur & fide 1. Cor. 2. v. 10. 11. 12. 15.

8. Ad rationem intellectus nostri post lapsum naturalē accepta & secundam hujus judicium æstimata sapientiæ humanæ sunt stultitia 1. Cor. 1. v. 18. 21. Cap. 2. v. 14. Cap. 3. v. 19.

9. Horum veritas fundatur in Dei Virtute sapientia & admirāda majestate. 1. Cor. 2. v. 5. 6. 7. non in sapientia hominis 1. Cor. 2. v. 1. 4. 5.

10. Sunt occulta sapientiæ divinæ & abysus multa. Psal. 51. v. 8. Psal. 36. v. 7.

11. Cui recte scripturam tractare animus

mus, Deum autorem revelationis ex animo timeat, cum inde initium veræ sapientiæ deducatur. Ps. 111. v. 10. Prov. 1. v. 1. 11. Cap. 8. v. 13. Cap. 9. v. 10. Syr. 1. v. 16. Esa. 33. v. 13. Act. 9. v. 31.

12. Pietatem hanc singularis modestia & humilitas cum prudētia conjuncta, necessum est ut comitetur, ne in periculum oppressionis mens incurrat Prov. 25. v. 27. 2. Cor. 10. v. 5.

13. Initium laboris, qui in hac tractatione consumitur sit ardens precatio, qua auxiliū cælitus imploretur adversus hostes veritatis, & lux optetur, qua in viam veritatis perducamur. Ioh. 14. v. 26. Ps. 119. v. 12. 64. Ps. 25. v. 4. 5.

14. Sanctitati summis viribus studeat; sibi, mundo, carni renunciet, totumq; sese DEO & Ecclesiæ rebus mancipet, id quod statuta & leges quibus sacerdotum ordo in veteri

testamento regebatur, manifesto monstrant, Titus & Timotheo in novo vivis figuris adumbrant.

15. De hinc lectioni assiduæ, meditationi continuæ & repetitioni attendatur Prov. 8. v. 4. Ps. 1. v. 2. Ier. 48. v. 10. Ioh. 5. v. 39. Prior. ad Timot. 4. v. 13.

16. Sincerus etiam Doctor est eligendus, qui judicio valeat, pietate & constantia fidem suam Ecclesiæ probet, & scripturas dextre interpretur Luc. 8. v. 18. Matth. 7. v. 15. Rom. 10. v. 14. Eph. 4 v. 11. Cor. 4. v. 2. Cap. 15. v. 33.

17. Is qui in reliquis doctrinis multum valet, in studio Theologico recte constituendo valebit plurimum, ordo diligenter observatus: siquidem ut est Iob. 1. v. 22. terra quæ ordine caret & mortis & obscura sit: Theologia vero lignum vitæ prov. 3. v. 18. & cap. 6. v. 23. lux & via vitæ dicatur, nec non singula-

gulariter Paulus præcipiat, ut in rebus Ecclesiam concernentibus decenter & ordine fiant omnia. 1. Cor. 14. v. 40.

18. Voluptates quibus & animus turbatur & vis ingenij enervatur, spiritus veritatis conturbatur & ineptus ad studia & labores homo redditur, fugat. Os. 4. v. 11. Esa. 28 v. 7. 1. Tim. 3. v. 3. Tit. 1. v. 6. 7. 8.

19. Linguas addiscat quibus doctrina & veritas Theologica traditur.

20. Ijs etiam doctrinis sese sufficienter & probè instruat, quibus disserendi facultas regitur, eloquentiaq; comparatur, quibusq; res naturales traduntur & mores hominum ad honestatem formantur. Licet enim vis earum ad spiritualem mentis illuminationem, quæ sæpius Theologiæ nomine appellatur, ut thesi 2. disput. 1. adfirmatum est, verè præstandam nil

quicquam conferat. in dogmatica tamen & externa hac rerum Theologicarum tractatione non tantum plurimum valent, sed etiam necessariæ sunt. 1. Tim. 3. v. 2. Tit. 2. v. 4. 2. Tim. 2. v. 15. Rom. 3. v. 28. Act. 18. v. 24,

21. Sed accuratè videndum est ne vel id quod solius Spiritus sancti adscribendum virtuti, istis tribuamus disciplinis, vel res Theologicas ad mensuram veritatis in illis descriptam flectere atq; ita judicio nostro subijcere conemur. Col 2. v. 8.

22. Interpretationem igitur sectetur scripturarum, quæ sic artium illarum utitur artificio, ut rerum Theologicarum sinceritas & constitutio mysteriorum haud quaquam turbetur.

23. Genuimus interpres nihil præsumit, quando ad interpretationem se accingit, intelligendum, sed ex sacris literis haurit, quod sit sentiendum,

24. Neq; ullas veritatis formandæ mensuras ante concipit, ad quas necessario omnis veritas in scripturis contenta congruat.

25. Tantum oculos ad patefactionē scripturarum convertit, observaturus quid de quo dicatur, sive id rationis humanæ capacitati congruat, sive non congruat.

26. Dispositionem quoq; naturæ universæ naturalem, non constituit regulam, ut nec potentiæ & actus conveniētiā & illius ad hunc situm & adfectionem, uti in Metaphysicis Logicisq; traduntur; secundum quam formentur necessario, quæ per interpretationem promi debeant.

27. Neq; in hac inquisitione interpres fidelis scripturæ fines transilit, ut quæ rerum Theologicarum revelatæ, non sunt rationes, investigare attentet, sed iis sese ita continet, ut tantum quod revelatum est, excutiat. 28. Nec

28. Nec extra scripturam alibi traditum inquirit, quid de quo dicatur, cum propria unicuiq; denegata sit interpretation, & mysteria naturæ legibus non subijciantur.

29. Interpretatio, inquisitio, æstimatio, quæ ulterius non progreditur, quã quo revelatio ducit, clarissimam patefactionis lucem aperit: quę ulterius tendere admititur, rationesq; eorum, quę revelatione patefiunt, in scripturis non ostensas, perquirere non desinit, ex luce in tenebras sese præcipitat, supraq; quam scriptum est, contra scripturam sapere conatur. 1. Cor. 4. v. 6.

30. Scripturæ locus accurate expendatur, si singulæ partes enunciatorum ex adjectis declarationibus, quæ vel eodem in loco vel alibi eadẽ in re explicata reperiuntur, finiantur; quid de quo sit dictũ, constanter adfirmabitur.

31. Antecedentia cum consequentibus, extrema cum medijs, & cum ultimis prima si comparentur: Si omnium inter se & singularum partium cohærentia observetur: Si cujusvis membri scopus proprius, si omnium communis exquisitius notetur: Si quid ex quo dictum sit concluſumq; & quodnam ex se iterum aliud gignat deducendum concludendumve inveſtigetur: si quid inter se collata singula, quid vniversa comprehensa largiantur, accurata analysi perquiratur, omnesq; circumstantiæ perpendantur, certo quid genuimus scripturæ sensus patefaciat, non difficulter invenietur.

32. Quæ diversis in locis de re eadem traduntur comparanda inter se sunt, & quæ obscuriora sunt, clarioribus illustranda.

33. Si aliquo in loco aliquid ad plenã

rei

rei declarationem desit, id ex alio ad sumendum, ut sic caput doctrinæ integrum integre constituatur.

34. Res cœlestes quæ in principio scripturæ sunt patefactæ, perpetuò interpreti respiciantur, & ad eas clarius explicandum, sequentia prudenter convertantur.

35. Scripturæ enim veritas catena est, in qua arctissimè inter se connexa convinciuntur omnia, ut multiplici luce colluſtrentur singula.

36. Interpretatio orthodoxa ab ea sibi cavet explicatione, quæ mysteriorum veritatem ad logicas veritatis formas, quæ ex modis rerum essendi definiuntur, quocunq; id artificio fiat, reducit.

37. Est enim illa reductio mysteriorum non adsertio, sed destructio: tenebras ex mente non pellit, sed media per quæ lux accendi debuit, tollit, atq; il-

la quæ rationi humana recta, commoda, sufficientia, videntur, reponit.

38 Hac ratione & via ex scripturis non tantum dogmata veritatis simpliciter constitui, errores refelli, controversiæ exortæ dirimi: sed etiam explicationes à patribus datæ nobis relictæ dijudicari, recentiores atq adeo nostræ ipsorum censeri & possunt & debent maximè.

29. Hac via insistens crucem expectet sibi & necessariam & utilem, in cujus schola cum experimento pietatis veritas addiscitur, à terrenis ad cœlestia ardentius meditandum abstrahitur & vexatio intellectum dare verè dicitur, Esa. 38. v. 29. Deut. 8. v. 3.

30. Atque tandem in studiorum hoc cursu Theologus ita perseveret, ut tum Ecclesiam tum se ipsum ad gloriam Patris æterni ædificet, minime ut vanam eruditionis laudem conse-

quatur. Prior. Cor. 10. v 31. Cap. 12. v. 7. cap. 14. v. 12. 26. 1. Thes. 5. v. 11. Johan. 15. v. 8. 16.

Corall.

1. Arcere laicos à lectione bibliorum tyrannidis est pontificiæ, non muneris pastoralis.

2. Interpretatio lucem in scripturis accensam monstrat, novam scripturis lucem non infert.

ERRATA.

Pag. 10. *lin.* 12. *rerum varietatem* 20. 3. *in divinis.* 17. 1. *infusos li. penult. Philosophiam.* 35. 17. *cum Christus.* 40. 6. *analogiis.* 7. *tropologiis.* 9. *gia.* 43. 8. *dicitur.* 14. *insita.* 45. 9. προδήκη, 47. 7. *dicatur, agit.* 48. 1 *nebris* 52. 1. *& cognitionem.* 57. 2. *quctur.* 3. *Vitare.* 59. 7. *conformata.* 73. 19. *ex regen.* 75. 3. *Synergismo.* 77. 1. *luce.* 78. 4 *vi agentis* 7. *Zabar.* 16. *Goclen.* 90. 18. *refinguntur.* 96. 13. *dubiam.* 15. *suo.* 98. *li ulti. intuitionem.* 00. 1. *Logica.* 104. *li. penult. sane.* 105. 19. *effatum.* 1 0. 15. *fundamentis. p.* 114. *l. Philosophia. p.* 119. *l.* 10. *primo limine. li. penult. Cum suis. p.* 123. 8. *ex principiis. p.* 128. *li.* 6. *quid sit.*

FINIS.

eritatis formandæ
ipit, ad quas neces-
in ſcripturis con-

os ad patefactionē
ertit, obſervaturus
, ſive id rationis hu
ngruat, ſive non

n quoq; naturæ uni
on conſtituit regu-
æ & actus conveni-
c ſitum & adfectio-
yſicis Logicisq; tra-
quam formentum
interpretationem

nquiſitione inter-
e fines tranſilit, ut
gicarum revelatæ,
nveſtigare attentet,
et, ut tantum quod
tiat. 23. Nec

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn812593081/phys_0175
DFG